

PONTIFICIUM CONSILIUM
DE LEGUM TEXTIBUS

COMMUNICATIONES

VOL. XXXII - N. 1

2000

COMMUNICATIONES

PONTIFICIUM CONSILIUM
DE LEGUM TEXTIBUS

Piazza Pio XII, 10 - 00193 Roma

N. 1

Semestrale

IUNIO 2000

Sped. Abb. Postale - 50% Roma

EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

Allocutio Summi Pontificis ad Iudices, Administros Advocatosque Rotae Romanae coram admissos	3
---	---

ACTA SANCTAE SEDIS

CONGREGATIO DE CULTU DIVINO ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM

Litterae Congregationis de recursu ut puellam ob maturitatem suam et profectum fidei ad sacramentum confirmationis admittitur.	12
---	----

ACTA CONSILII

DECRETUM de recursu super congruentia inter legem particularem et normam codicalem	15
QUAESTIONES QUAEDAM STUDIO PONTIFICII CONSILII SUBMISSAE	23

EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

Coetus studiorum « De Sacramentis » (Sessio X)	26
Coetus studiorum « De Sacramentis » (Sessio XI)	84
OPERA A CONSILII BIBLIOTHECA RECEPTA	149

Ex Actis Pont. Comm. CIC Recognoscendo

COETUS STUDIORUM « DE SACRAMENTIS »

Sessio X

(dd. 23-28 octobris 1972 habita)

Diebus 23-28 octobris 1972, in aulam Sedis Commissionis Codici Iuris Canonici recognoscendo, convenerunt Consultores designati ut membra Coetus studiorum ad recognoscendas normas CIC de Sacramentis (excepto sacramento matrimonii).

Convenerunt in aulam inde ab hora 9,30 diei 23 octobris 1972: Exc.mi DD. Charue, Matulaitis-Labukas, Vaivods et Trochta;

Ill.mi ac Rev.mi DD. Sessolo, Medina, Carbone et M'Bunga; Rev.mi PP. Leite Semmelroth, Abellan et Rev.mus D.nus Onclin, Commissionis Secretarius adiunctus, qui munere praesidis functus est, atque Rev.dus Nicolaus Pavoni, adiutor a studiis.

Non adfuerunt Exc.mi DD. Schneider et Oldani et Rev.mus Rybczyk, legitime impediti.

Quaestio proposita in hac sessione tractanda erat¹: altera recognitio omnium canonum de Sacramentis, in specie iterum recognitio canonum

¹ Initio sessionis X coetus studiorum « De Sacramentis » sequentes observationes factae sunt ad relationem sessionis IX eiusdem Coetus:

Rev.mus primus Consultor:

– p. 33 (nunc *Comm. XXXI*, p. 309, ad can. 19 in linea 14) « quia partem agit ipsius ritus » loco « quia est pars essentialis ritus ».


Rev.mus secundus Consultor:

– p. 24 (nunc *Comm. XXXI*, p. 303, ad can. 12, in linea secunda) « placet » loco « non placet », post propositionem de supprimendis ultimis verbis, quia de facto verba ablata sunt, ad can. 12.

– p. 31 (nunc *Comm. XXXI*, p. 308, ad can. 15, in ultima linea) « textus canonis placet cum emendatione proposita » loco « textus canonis placet uti est ».

Rev.mus tertius Consultor:

– p. 39 (nunc *Comm. XXXI*, p. 312, ad can. 24, § 2, in secunda linea) adiungi debet verbum « necessaria », post « materia ».



de baptismo (cann. 737-779), de confirmatione (cann. 780-800), canonum generalium (cann. 731-736) necnon canonum de poenitentia (cann. 870-910).

Votum de quaestionibus propositis paravit Rev.mus tertius Consultor.

DISCEPTATIO DE SCHEMATE « CANONUM GENERALIUM »

Can. 1 (CIC 731, § 1)

Rev.mus primus Consultor proponit ut supprimatur verbum « magnopere », quia textus sine verbo « magnopere » magis affirmativus est.

Placet omnibus.

Can. 2 (CIC 731, § 2)

Ad par. 1: Rev.mus quartus Consultor proponit ut dicatur « qui pariter » loco « atque iidem christifideles ».

Placet omnibus.

Ad par. 2: Rev.mus tertius Consultor quaerit utrum aliquid hic oporteat dicere de matrimoniis mixtis, an potius illa materia, quatenus particularis, tantummodo in canonibus de matrimonio pertractanda sit. Est quoque de hac re peculiaris declaratio circa matrimonia inter partem catholicam et orthodoxam.

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut adiungantur in § 1, post « salvis huius canonis §§ 2, 3 et 4 » verba « necnon canonibus... » (de matrimonio).

Placet omnibus.

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut dicatur « sit » loco « est ».

Placet.

De reliquo textus placet omnibus uti est.

Ad par. 3: Placet uti est.

Ad par. 4: Rev.mus tertius Consultor proponit ut addatur in notula referentia ad documentum quod inscribitur: *Instructio de peculiaribus casibus admittendi alios christianos ad communionem eucharisticam in Ecclesia Catholica*, d. 1 iunii 1972.

Placet omnibus.

Rev.mus proponit ut dicatur «valeant» loco «valent».

Placet omnibus.

Rev.mus primus Consultor proponit ut loco «communione» dicatur «communitatis». Placet. Attamen requiritur verbum «placent», loco «placet».

Ad par. 5: Textus placet uti est.

Can. 3

Textus placet uti est.

Can. 4

Textus placet omnibus uti est.

Can. 5

Ad par. 1: Exc.mus sextus Consultor proponit ut dicatur «veteribus» ut in Codice, loco «veterioribus». Placet omnibus.

Ad par. 2: Rev.mus secundus Consultor proponit ut supprimatur verbum «ex fructibus», quia includitur in verbo «plantis». Respondet Rev.mus Secretarius ad. quod est textus a S. Congregatione pro Doctrina Fidei datus.

Concordant omnes ut textus maneat uti est, exceptis Rev.mis secundo et septimo Consultoribus.

Can. 6

Ad par. 1: Textus placet uti est.

Ad par. 2: – Exc.mus sextus Consultor praefert loco «cuilibet sacerdoti» «omni sacerdoti» et ponit quaestionem de sacerdote excommunicato.

Respondet Rev.mus Secretarius ad. quod in periculo mortis quilibet sacerdos etiam excommunicatus potest unctionem infirmorum ministrare.

Textus placet uti est.

Can. 7

Textus placet uti est.

Rev.mus tertius Consultor facit sequentem animadversionem generalem:

« Ut iam bis dixi, hi canones non bene intelligentur nisi ipsis praecedant aliqui canones “de Sacra Liturgia in genere”. Pro his canonibus suggestis, bis etiam misi redactionis tentamen, hucusque vero de hac re non egimus, quamvis, ni fallor, in prima nostra adunatione concordēs fuimus de necessitate hanc rem tractandi ».

« In specie puto, et praecipue si canones generales “de Sacra Liturgia in genere” non admittuntur, necessarium esse in canonibus generalibus “de Sacramentis” aliquid dicere de celebratione communitaria nec non de momento Verbi Dei in celebratione Sacramentorum, ad normam Const. *Sacrosanctum Concilium* de Sacra Liturgia ».

Animadvertit Rev.mus Secretarius ad. quod de sacrificio Missae iam dictum est quod est celebratio communitaria et etiam de Communionē extra Missam dictum est quod praeparari debet cum lectura.

Rev.mus tertius Consultor aestimat aliquid de hoc dicendum esse in canonibus generalibus post can. 3.

Rev.mus septimus Consultor legit textus uti sunt in nn. 26, 27, 30 Const. *Sacrosanctum Concilium*.

Rev.mus Secretarius ad. proponit textum sequentem, qui placet omnibus:

« Administratio Sacramentorum, utpote actio Ecclesiae, quantum fieri possit, cum actuosa communitatis participatione celebretur ».

De loco ubi poni debet novus canon: concordant omnes ut ponatur post canonem 3, ut can. 4 cum referentia ad Const. *Sacrosanctum Concilium*, nn. 26-27.

DISCEPTATIO DE SCHEMATE CANONUM

« DE BAPTISMO »

Rev.mus Secretarius ad. ponit quaestionem de titulo, scilicet utrum adhibendum est verbum « Baptismum » an verbum « Baptisma ».

Rev.mi tertius et primus Consultores declarant quod in editionibus Novi Testamenti adhibetur « Baptisma », in « Ordo » vero « Baptismus ».

Rev.mus primus Consultor praefert verbum « Baptismus », quia in lingua graeca dicitur « baptismos », et in documentis ecclesiasticis communiter usurpatur;

Concordant omnes ut titulus sit « De Baptismo ».

Can. 9 (CIC 737)

Rev.mus tertius Consultor proponit ut in nota ponatur referentia ad Ordinem.

Concordant omnes ut textus maneat uti est et acceptant propositionem Rev.mi tertii Consultoris.

Caput I

DE MINISTRO BAPTISMI

Can. 10 (CIC 738)

Ad par. 1: Rev.mus septimus Consultor petit utrum sermo fieri debeat etiam de ministeria lectoris et acolythi, de quibus expresse mentio fit in motu proprio *Ministeria quaedam*. Non placet.

Rev.mus quintus Consultor proponit ut supprimantur ultima verba, scilicet: « necnon... praescriptis ». Placet omnibus.

Ad par. 2: Placet uti est.

Can. 11 (CIC 739)

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut dicatur « baptismus solemniori forma conferre » loco « baptismum solemnem conferre ». Placet.

Can. 12 (CIC 744)

Textus placet omnes uti est.

Caput II

DE BAPTISMI SUBIECTO

Can. 13 (CIC 745)

Textus placet uti est.

Can. 14 (CIC 747)

Textus placet uti est.

Can. 15 (CIC 749)

Textus placet uti est.

Can. 16 (CIC 750-751)

Ad par. 2: Rev.mi secundus Consultor et Secretarius ad. proponunt ut dicatur: « dummodo non sint expresse contrarii ambo parentes aut ii qui... ». Placet.

Can. 17 (CIC 752)

Rev.mus tertius Consultor proponit sequentes animadversiones:

Ad par. 1: Addere in notula referentiam ad novum *Ordinem initiationis christianae adultorum* in genere.

Addere novam § 2: « Ad admittendum adultum ad sacramenta initiationis christianae, servetur oportet iter in liturgicis libris descriptus » (cf. *Ordo initiationis christianae adultorum*, nn. 1-294).

Ad par. 2: Esset 3, et fiat mentio in notula *Ordinis initiationis christianae adultorum*, nn. 3 et 278-294.

Addere § 4: « Adultus qui baptizatur, pro posse immediate post baptismum acceptum sacramenta recipiat Confirmationis et SS.mae Eucharistiae, ad normam liturgicorum librorum » (cf. *Ordo initiationis christianae adultorum*, nn. 34-36; 243, 280 et 293).

Caput V *Ordinis initiationis christianae adultorum* sic inscribitur: « Ordo initiationis puerorum qui aetatem catechetica adepti sunt ». De hac re canones iam apparati silent, eo quod, ni fallor, tantummodo de « infantibus » agunt. Aliquid posset dici ad mentem *Ordinis initiationis christianae adultorum*, nn. 306-313 immediate post can. 15, recolendo necessitatem praeparationis et « itineris ».

Aestimatur Rev.mus Secretarius ad. novum canonem esse addendum, scilicet can. 18 novum.

Rev.mi Secretarius ad. et quintus Consultor proponunt ut componatur novus canon qui erit can.18 cum duabus paragraphis. Placet omnibus et Rev.mus Secretarius ad. proponit sequentem textum:

Can. 18 (novus)

§ 1. In praeparando adulto qui baptismum recipere intendit, servantur peculiaria praescripta a competenti auctoritate edita.

§ 2. Adultus qui baptizatur, nisi gravis obstet ratio, statim post receptum baptismum confirmetur atque, quatenus fieri possit, celebrationem eucharisticam participet (cf. *Ordo initiationis christianae adultorum*, nn. 34-36).

Can. 19 (novus)

Ad par. 1: Placet omnibus uti est.

Ad par. 2: Rev.mi tertius et quintus Consultores declarant quod poni debet aliud verbum loco « praesumitur »

Rev.mus primus Consultor declarat quod praesumptio se refert ad intentionem ministri, non ad formam et materiam.

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut loco « praesumitur » dicatur « habeatur ». Placet omnibus emendatio.

Rev.mus tertius Consultor proponit ut mutantur etiam ultima verba, scilicet « constet... ».

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut loco « constet in casu baptismum invalide fuisse collatum », dicatur « seria ratio dubitandi de baptismi validitate adsit ».

Placet omnibus.

Ad par. 3: Placet omnibus uti est.

Caput III

DE BAPTISMI RITIBUS ET CAEREMONIIS

Placent canones 20-24, uti sunt.

Caput IV

DE PATRINIS

Textus canonum 25 (CIC 762), 26 (CIC 764), 27 (CIC 765), 28 (CIC 766), 29 (CIC 769) placent omnibus Consultoribus uti sunt.

Caput V

DE TEMPORE ET LOCO BAPTISMI

Can. 30 (CIC 770) et *Can. 31* (CIC 772)

Textus placent omnibus uti sunt.

Can. 32 (CIC 773)

Ad par. 1: Exc.mus octavus Consultor proponit ut omittatur verbum « baptisterium ». Placet omnibus.

Concordant omnes ut deleantur etiam verba « aut oratorio publico », et dicatur « oratorio ».

Ad par. 2: Rev.mus quartus Consultor rogat ut relinquatur formula « gravis causa ».

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut dicatur « iusta causa » loco « gravis causa ».

Placet sex Consultoribus, aliis quattuor aestimantibus requiri « gravis causa »; abstinet a sententia ferenda Rev.mus primus Consultor. Postea conveniunt omnes ut dicatur « iusta causa ».

Can. 33 (CIC 774)

Ad par. 1: Placet omnibus uti est.

Ad par. 2: Proponitur ut loco « ponatur » dicatur « habeatur ».

Placet omnibus.

Concordant omnes ut loco « in alia ecclesia vel publico oratorio... » dicatur « in aliqua ecclesia aut oratorio... ».

Can. 34 (CIC 775)

Concordant omnes ut dicatur « solemniore » loco « solemni » et ut supprimatur verbum « publico » post « oratorio ».

De reliquo textus placet uti est.

Can. 35 (CIC 776)

Rev.mus quartus Consultor proponit ut supprimatur « et rationabili de » et dicatur ut in can. 32 § 2 scilicet « iusta de causa ».

Placet omnibus.

De reliquo omnes approbant textum canonis.

Caput VI

DE COLLATI BAPTISMI PROBATIONE ET ADNOTATIONE

Can. 36 (novum)

Textus placet omnibus uti est.

Can. 37 (CIC 777)

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut in § 1 dicatur «parochus» loco «parochi» et in § 2 «illegitimo filio» loco «illegitimis filiis.»

Placet.

Rev.mus tertius Consultor declarat quod forsitan aliquid erit addendum de adnotatione nominum catechumenorum, secundum praescriptum *Ordinis initiationis christianae adultorum*, n. 17.

Rev.mus quintus Consultor animadvertit iam dictum esse in canone 18 (novo) quod in praeparando adulto qui baptismum recipere intendit, servantur peculiaria praescripta a competenti auctoritate edita et hoc videtur sufficere posse.

Rev.mus secundus Consultor notat quod aliquid potest dici de hoc ubi de archivo.

Rev.mus septimus Consultor declarat quod non est necessarium quod mater, scripto, vel coram duobus testibus, notificet propriam maternitatem.

Concordant omnes ut textus maneat uti est.

Can. 38 (CIC 778 et novum)

Rev.mus septimus Consultor proponit ut supprimantur verba «paroeiae parentum propriae». Placet omnibus.

De reliquo textus probatur ab omnibus uti est.

Can. 39 (CIC 779)

Textus placet omnibus uti est.

DISCEPTATIO DE SCHEMATE PROPOSITO
«DE CONFIRMATIONE»

Can. 40 (CIC 780-781)

Ad. par. 1: Rev.mus tertius Consultor legit redactionem *Ordinis Confirmationis*, n. 9, scilicet «Sacramentum Confirmationis confertur per unctionem chrismatis in fronte, quae fit manus impositione, atque per verba: Accipe signaculum doni Spiritus Sancti», et suggerit ut sumatur textus *Ordinis* quin vero ingerantur verba formae.

Exc.mus octavus Consultor petit utrum retinenda sit manus impositio necne.

Respondent Rev.mi Secretarius ad. et tertius Consultor quod verba «per manus impositionem» retineri debent.

Rev.mus septimus Consultor proponit ut supprimantur verba «in probatis liturgicis libris». Non placet.

Rev.mus primus Consultor proponit ut dicatur «ab ipso ministro facta» loco «ipsa ministri manu facta».

Respondet Rev.mus quintus Consultor quod debet dici «ipsa manu ministri», quia si dicitur tantum «a ministro facta», intelligi potest etiam quod unctio fieri potest per instrumentum.

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut secunda linea sequenti modo emendetur: «...impositionem, quae fit unctione chrismatis ipsa ministri manu in fronte facta...».

Placet omnibus haec emendatio.

Ad par. 2: Textus placet omnibus uti est.

Can. 41 (novum)

Textus placet omnibus uti est.

Caput I

DE CONFIRMATIONIS MINISTRO

Can. 42 (CIC 782, § 1)

Ad par. 1: Rev.mus tertius Consultor ponit quaestionem de verbo «ordinarius» et proponit ut scribatur potius «minister originarius», secundum terminologiam Const. dogm. *Lumen gentium*, n. 26, et *Ordinis Confirmationis*, n. 7, ubi dicitur «Confirmationis minister originarius est Episcopus».

Respondet Rev.mus Secretarius ad. quod in Const. dogm. *Lumen gentium* et *Ordine Confirmatione*, n. 7, habetur terminologia theologica, non iuridica; propterea mavult verbum «ordinarius».

Exc.mus octavus Consultor proponit ut ponatur utrumque verbum scilicet ordinarius et originarius; censet tamen verbum «originarius» dicere plus quam verbum «ordinarius».

Rev.mus quartus Consultor declarat quod in *Ordine Confirmatione* in n. 8 mentio fit de ministro extraordinario.

At animadvertit Rev.mus tertius Consultor quod in *Ordine Confirmatione*, n. 8, dicitur de ministro extraordinario qui facultatem habet ex indulto, non a iure.

Rev.mus quintus Consultor proponit ut sermo non fiat de ministro ordinario et extraordinario sed tantum de ministro, scilicet Episcopo et Presbytero.

Rev.mus Secretarius ad. proponit textum canonis sequenti modo emendatum:

« Valide confirmationem confert Episcopus, huius quidem sacramenti minister originarius, itemque presbyter cui haec facultas vi iuris communis aut peculiaris concessionis a competenti auctoritate factae competit ».

Placet omnibus et ita habetur unica tantum paragraphus.

Can. 43 (CIC 782, § 3)

Rev.mus primus Consultor declarat quod attendi debet ad normam n. 362 *Ordinis initiationis christianae adultorum* ubi dicitur « Absente vero Episcopo, confirmatio dari potest a presbytero, qui baptismum contulit ».

Rev.mus tertius Consultor legit etiam quod dicitur in n. 46 *Ordo initiationis christianae adultorum* scilicet « Praeter episcopum facultatem confirmandi ipso iure gaudent: ...presbyter, qui ex officio sibi legitime tributo adultum aut puerum aetatis catecheticae baptizat, vel adultum iam valide baptizatum in plenam communionem Ecclesiae admittit ».

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut § 3 huius canonis sequentem textum:

« Presbyter qui adultum baptizat, aut adultum iam valide baptizatum in plenam Ecclesiae Catholicae communionem admittit ».

Placet omnibus.

Exc.mus octavus Consultor petit utrum quilibet presbyter potest confirmationem ministrare necne quando Parochus non est impeditus.

Respondet Rev.mus Secretarius ad. quod si adest periculum mortis quilibet presbyter potest administrare confirmationem, etiamsi si parochus non est impeditus.

Rev.mus tertius Consultor censet in Codice sermonem fieri posse de facultate quam Episcopi habent sibi associandi alios presbyteros quando magna multitudo puerum adsit.

Rev.mus Secundus Consultor notat quod in canone 44 subsequenti agitur de facultate quam Episcopus habet permittendi certis presbyteris ut sacramentum administrent, si adiuncta loci vel temporis id requirant.

Rev.mus tertius Consultor declarat quod norma ampliari debet.

Rev.mus quartus Consultor censet sufficiens esse quod dicitur in n. 8 *Ordinis Confirmationis*, scilicet: « Ex vera necessitate ac peculiari de causa, uti aliquando propter multitudinem confirmandorum accidit, confirmationis minister, de quo in n. 7, necnon minister extraordinarius peculiari

Apostolicae Sedis indulto vel a iure constitutus, presbyteros ad sacramentum ministrandum sibi sociare potest ».

Can. 44 (novum)

Rev.mi quartus et tertius Consultores proponunt ut fiant duo paragraphi: in § 1 agi debet de Episcopo qui facultatem concedere potest certis presbyteris si adiuncta loci vel temporis id requirant; in § 2 vero de ministro confirmationis, qui ex vera necessitate presbyteros ad sacramentum ministrandum sibi sociare potest.

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut canon 44 uniatur canoni praecedenti.

Rev.mus quintus Consultor notat quod in can. 43 agitur de facultate ipso iure data, e contra in can. 44 agitur de facultate ab homine.

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut can. 44 maneat uti est ut § 1, et componatur § 2 ex n. 8 *Ordinis Confirmationis*, ubi agitur de facultate quam minister confirmationis habet alios presbyteros ad sacramentum ministrandum sibi sociare.

Haec propositio placet omnibus.

Rev.mus quintus Consultor causa concinnitatis, proponit ut verba « Episcopus dioecesanus » omittantur.

Placet omnibus.

Rev.mus Secretarius ad. proponit textum sequentem ut § 2 can. 44:

« Adiunctis id requirentibus, Episcopus itemque presbyter, qui vi iuris aut peculiaris concessionis Sanctae Sedis Apostolicae, facultate confirmandi gaudeat, potest in singulis casibus presbyteros ad sacramentum ministrandum sibi sociare » (cf. *Ordo Confirmationis*, n. 8).

Ipsa Rev.mus Secretarius ad. petit utrum facultas sibi associandi circumscribi debet ad illos qui ex peculiari concessione Sanctae Sedis facultate confirmandi gaudeant an ampliari possit ad omnes presbyteros.

Exc.mus octavus Consultor aestimat facultatem circumscribi debere ad illos qui facultatem habent ex peculiari concessione.

De hac quaestione fit suffragatio. Maioritas concordat ut omnis minister confirmationis in singulis casibus, adiunctis id requirentibus, possit presbyteros ad sacramentum ministrandum sibi sociare.

Rev.mus Secretarius ad. proponit sequentem textum ut § 2:

« Adiunctis id requirentibus, Episcopus itemque presbyter, vi iuris aut peculiaris concessionis competentis auctoritatis, facultate confirmandi donatus, potest in singulis casibus presbyteros ad sacramentum ministrandum sibi sociare » (cf. *Ordo Confirmationis*, n. 8).

Placet omnibus.

Can. 45 (CIC 783)

Textus placet omnibus uti est.

Can. 46 (CIC 782, §§ 4-5)

Textus placet omnibus uti est.

Can. 47 (CIC 784)

Textus placet omnibus uti est.

Can. 48 (CIC 785)

Rev.mus secundus Consultor proponit ut supprimatur « rite et ». Placet omnibus.

De reliquo textus placet uti est.

Caput II

DE CONFIRMATIONIS SUBIECTO

Can. 49 (CIC 786)

Rev.mus primus Consultor proponit ut supprimatur « fructuose ».

Placet omnibus.

Rev.mus tertius Consultor proponit ut verba « si usu rationis pollet » ponantur ante verba « rite sit dispositus ». Placet omnibus.

Can. 50 (CIC 787)

Textus placet uti est.

Can. 51 (CIC 788)

Textus placet uti est.

Caput III

DE TEMPORE ET LOCO CONFIRMATIONIS CONFERENDAE

Can. 52 (CIC 790)

Textus placet uti est.

Can. 53 (CIC 791)

Textus placet uti est.

Can. 54 (CIC 792)

Textus placet uti est.

Caput IV

DE PATRINIS

Can. 55 (CIC 793)

Textus placet uti est cum referentia n. 5 *Ordinis Confirmationis*.

Can. 56 (CIC 795)

Textus placet uti est.

Can. 57 (CIC 796)

Rev.mus Secretarius ad. proponit textum qui erit § 2 huius canonis, scilicet: « Expediit ut tamquam patrinus assumatur qui idem munus in Baptismo suscepit » (cf. *Ordo Confirmationis*, n. 5).

Itaque textus canonis qui placet omnibus uti est, erit § 1 can. 57.

Can. 58 (CIC 797)

Textus placet uti est.

Caput V

DE COLLATAE CONFIRMATIONIS ADNOTATIONE ET PROBATIONE

Can. 59 (CIC 798)

Textus placet uti est cum referentia ad *Ordinem Confirmationis*, n. 14.

Can. 60 (CIC 799)

Textus placet uti est cum referentia ad *Ordinem Confirmationis*, n. 15.

DISCEPTATIO DE SCHEMATE CANONUM
« DE POENITENTIA »

Can. 128 (CIC 870)

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut ponantur verba « rite dispositi » statim post « fideles » et dicatur « ... fideles rite dispositi et peccata confitentes ».

Rev.mus primus Consultor proponit ut dicatur « ... peccata rite dispositi confitentes » quia verba « rite dispositi » se referunt etiam ad dispositionem animae.

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut dicatur « rite dispositi peccata confitentes » sine particula « et ».

Haec propositio placet omnibus.

Caput I

DE SACRAMENTI POENITENTIAE MINISTRO

Can. 129 (CIC 871)

Textus placet omnibus uti est.

Can. 130 (CIC 872)

Ad par. 1: Exc.mus sextus Consultor censet verbum « requiritur » omitti posse. Ratio: hoc requisitum seu postulatam in verbo « gaudeat » comprehenditur.

Respondet Rev.mus Secretarius ad. quod est differentia inter facultatem et potestatem quae datur per ordinationem.

Rev.mus quartus Consultor proponit ut dicatur « recepta » loco « collata ». Placet omnibus.

Rev.mus septimus Consultor proponit ut dicatur « in omnes fideles » loco « in determinatos fideles ».

Respondet Rev.mus Secretarius ad. quod « determinatos » possunt esse sive omnes sive aliqui.

Placet omnibus ut textus can. 138 § 1 maneat uti est, excepto Rev.mo septimo Consultore.

Ad par. 2: Textus placet omnibus uti est.

Can. 131 (CIC 873 et novum)

Ad par. 1: Rev.mus secundus Consultor aestimat verba « praeter Romanum Pontificem » supprimi posse.

Rev.mus tertius Consultor affirmat quod non potest dici de Episcopis quod dicitur de Summo Pontifice, quia Summus Pontifex habet facultatem ex iure divino, Episcopi autem vi iuris ecclesiastici.

Respondet Rev.mus Secretarius ad. quod potestas Romani Pontificis supponitur in canone et affirmat quod verba « praeter Romanum Pontificem » poni debent in textu.

Rev.mus tertius Consultor proponit ut dicatur « ...praeter Romanum Pontificem ...vi officii sui ».

Respondet Rev.mus primus Consultor quod Episcopi vi officii sui habent facultatem in propria ditione, non in universo mundo.

Rev.mus quintus Consultor proponit ut verbum « exercendam » ponatur post « absolvendi ». Placet omnibus.

Rev.mus primus Consultor proponit ut in tertia linea dicatur « ubique et erga omnes fideles » loco « ubique in omnes fideles ». Placet omnibus.

Ad par. 2: Rev.mus Secretarius ad. proponit « erga omnes » loco « in omnes » in initio. Placet omnibus.

Rev.mus quintus Consultor proponit ut in linea secunda aut in linea tertia supprimatur verbum « facultate » quia agitur de eadem facultate ad confessiones excipiendas. Rev.mus septimus Consultor proponit ut mutetur ordo et dicatur. « ...qui facultate gaudet ad confessiones excipiendas sive vi officii sive commissione speciali... ».

Animadvertit Rev.mus primus Consultor quod verba « in suo territorio » omitti non debent.

Exc.mus sextus Consultor proponit textum, qui sequitur:

« Ipso iure eadem facultate ubique potiuntur quoque presbyteri, qui sive vi officii sibi commissi facultate gaudent ad confessiones excipiendas in suo territorio, sive ad confessiones habitualiter excipiendas vi commissionis specialis ab aliquo loci Ordinario factae probati sunt: eadem vero facultate licite utuntur tantum servatis, ubi statuuntur, praescriptis a loci Ordinario editis ».

Textus § 2 placet omnibus uti est.

Ad par. 3: Textus placet omnibus uti est.

Can. 132 (CIC 873, §§ 1 et 2)

Ad par. 1: Rev.mus septimus Consultor proponit ut in textu mentio fiat de aliquo sacerdote qui specialem facultatem habeat ubi desit canonicus poenitentiarius.

Respondet Rev.mus Secretarius ad. quod hoc non praevидetur in Codice.
Concordant omnes ut textus maneat uti est.

Ad par. 2: Placet uti est.

Can. 133 (CIC 874 et 875)

Exc.mus sextus Consultor declarat quod in certis regionibus rationes adsunt ut loco « Ordinarius loci » locutio praeferatur: « Episcopus residentialis et Episcopus titularis ». Nam loci Ordinarius in iure Vicarius Capitularis quoque intelligitur. Officium Vicarii Capitularis temporaneum est, etsi stabile ad normam can. 145. Tamen officium Vicarii Capitularis — praxis alicubi invaluit — in indefinitum protrahitur et practice ut perpetuo duraturum respicitur. Ad officium Vicarii Capitularis sacerdos simplex, nec semper dignus, generatim eligitur. Non autem potest dependere Episcopus titularis a simplice presbytero.

Notant Rev.m tertius Consultor et Secretarius ad. quod agitur de casibus exceptionalibus.

Textus canonis placet omnibus uti est.

Can. 134 (CIC 877)

Textus placet omnibus uti est.

Can. 135 (CIC 874 § 2)

Placet uti est.

Can. 136 (CIC 878)

Placet uti est.

Can. 137 (CIC 879)

Placet uti est.

Can. 138 (CIC 880)

Ad par. 1: Placet uti est.

Ad par. 2: Placet uti est.

Ad par. 3: Placet uti est.

Ad par. 4: Rev.mus tertius Consultor ponit quaestionem de sodali qui suspensus est.

Respondet Rev.mus Secretarius ad. quod de hoc agitur in § 5.

Rev.mus animadvertit quod facultas ad confessiones excipiendas conceditur ab Episcopo, licentia vero a Superiore.

Respondet Rev.mus Secretarius ad. quod licentia habet effectum ipso iure; ergo cui aufertur licentia, ipso iure aufertur facultas ad confessiones excipiendas.

Textus placet omnibus uti est.

Ad par. 5: Placet uti est.

Can. 139 (CIC 882)

Placet omnibus uti est.

Can. 140 (CIC 884)

Placet omnibus uti est.

Can. 141 (CIC 886)

Placet uti est.

Can. 142 (CIC 894)

Placet uti est.

Can. 143 (CIC 888, § 1)

Placet uti est.

Can. 144 (CIC 888, § 2)

Textus placet omnibus uti est.

Can. 145 (CIC 887)

Placet uti est.

Can. 146 (CIC 889)

Ad par. 1: Exc.mus sextus Consultor proponit ut verba «si detur» omittantur. Declarat quod sufficit statuere possibilitatem interpretem adhibendi ut in can. 903 CIC. Textus canonis placet uti est.

Can. 147 (CIC 890).

Ad par. 1: Rev.mus tertius Consultor proponit ut adiungatur verbum « secreti » post « revelationis ».

Notat Rev.mus quintus Consultor quod est textus Codicis.

Textus itaque placet omnibus uti est.

Ad par. 2: Exc.mus sextus Consultor proponit ut adiungantur verba « nullo modo » post « gubernationem ». Placet omnibus haec emendatio.

Can. 148 (CIC 891)

Exc.mus sextus Consultor declarat quod dicitur de magistro novitiorum dici debet etiam de direttore spirituali in Seminario.

Respondet Em.mus Praeses quod magister novitiorum habet illud munus pro foro externo, e contra director spiritualis munus habet pro foro interno.

Textus placet uti est.

Can. 149 (CIC 892)

Rev.mus tertius Consultor putat quod hic aliquid esset adiungendum ad mentem nn. IV, IX et forsitan etiam n. X « Normarum de absolutione generali ». Declarat ipse quod melius esset in ipso textu canonis aliquid dicere, sed saltem ponatur referentia in notulis, si, vero admittitur insertio in ipso textu, en tentamen:

« § 2. Ut fideles legitimo desiderio vel immo obligationi accedendi ad individualement confessionem facile satisfacere possint, curent Episcopi, parochi nec non ecclesiarum rectores ut confessarii in templis praesto sint, diebus et horis in eorudem fidelium commodum statutis ».

Ratio: Textus desumitur ex n. IX, cum addittamentis. Loquitur de « desiderio » ut etiam prospiciantur confessiones sic dictae « devotionis ». Item determinantur personae quibus obligatio incumbit. Et si haec propositio placet, paragraphus secunda esset tertia.

Rev.mus primus Consultor proponit ut in § 1 dicatur quod parochus occasionem praebere debet fidelibus ut ad individualement confessionem facile accedere possint.

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut in § 1 adiungantur verba sequentia: « ...utque iisdem opportunitas praebeatur ad confessionem individualement, diebus ac horis in eorum commodum statutis accedendi ».

Placet omnibus.

Rev.mus primus Consultor proponit ut auferantur verba « a se vel ad alio ». Placet omnibus.

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut loco « Parochus alique quibus cura animarum... » dicatur « omnis cui animarum cura ».

Placet omnibus.

Itaque textus § 1 erit: « Omnis cui animarum cura vi muneris est demandata, gravi tenetur obligatione providendi ut excipiantur confessiones fidelium sibi commissorum, qui rationabiliter confiteri petant, diebus ac horis in eorum commodum statutis, accedendi ».

Ad par. 2: Exc.mus sextus Consultor praefert ut dicatur « omnes confessarii » loco « quilibet confessarius ».

Notat Em.mus Praeses quod verbam « quilibet » pressius est quam « omnes ».

Textus § 2 placet omnibus uti est.

Can. 150 (CIC 908)

Rev.mus tertius Consultor petit utrum hic sermo fieri debeat de obligatione habendi confessionalem necne.

Exc.mus nonus Consultor animadvertit quod in certis regionibus non est semper possibile ad confessionalem accedere.

Declarat Rev.mus Secretarius ad. quod norma sufficit uti est. Placet omnibus.

Ad par. 2: Rev.mus quintus Consultor proponit ut addatur verbum « obligatione » post « de sede confessionali ».

Rev.mus septimus Consultor declarat quod adiungi debet verbum « de usu » et verba « de loco et de structura » tolli debent.

Rev.mus quintus Consultor proponit ut sequenti modo emendetur § 2:

« Quae de sede confessionali praescribenda sint, ab Episcoporum Conferentia regionis statuuntur ».

Haec emendatio placet omnibus.

Caput II

DE SACRAMENTI POENITENTIAE SUBIECTO

Can. 151 (CIC 901-902)

Rev.mus tertius Consultor declarat quod forsitan est etiam hic aliqua adiunctio necessaria ex n. I desumpta (*Normae Pastorales de absolutione generalis*) et proponit textum qui sequitur:

« Individualis et integra confessio atque absolutio sunt unicus modus ordinarius, quo fideles se cum Deo et Ecclesia reconciliant, salvis praescriptis cann... ».

Ratio: Haec declaratio videtur necessaria in hodiernis adiunctis. Textus desumitur ex parte finali n. I, cum mutatione redactionis propter Codicis structuram inducta. Si haec additio admittitur, paragraphus secunda huius canonis deveniet tertia.

Concordant omnes ut de instructione sermo in posterum remittatur.

Rev.mus septimus Consultor proponit ut addatur ad § 2 aliquid de frequentia confessionis. Non placet.

Rev.mus tertius Consultor proponit ut post § 2 ponatur referentia ad normam XII *Instructionis*.

Placet omnibus haec propositio.

Textus canonis placet omnibus uti est.

Can. 152 (CIC 906)

Rev.mus septimus Consultor proponit ut canon hic adiungatur ad can. 160 quia agitur de peccatis gravibus.

Respondet Rev.mus Secretarius ad. quod hic agitur de obligatione confitendi peccata saltem semel in anno.

Textus canonis placet omnibus uti est.

Can. 153 (CIC 903)

Rev.mus primus Consultor proponit ut omittantur verba: « qui aliter confiteri non valet ».

Rev.mus Secretarius ad. proponit textum modo sequenti emendatum:

« Non prohibetur quis, si velit, quominus... etc. ».

Placet omnibus.

Rev.mus septimus Consultor proponit ut supprimantur verba: « vitatis quidem abusibus et scandalis ». Non placet.

Omnes adprobant textum emendatum a Rev.mis primo Consultore et Secretario ad.

Can. 154 (CIC 905)

Placet omnibus uti est.

DISCEPTATIO DE NORMIS PASTORALIBUS CIRCA
ABSOLUTIONEM SACRAMENTALEM GENERALI
MODO IMPERTIENDAM

Norma I.

Rev.mus Secretarius ad. una cum Rev.mo quintus Consultor animadvertit quod verba ultima, scilicet « individualis et integra confessio... confessione excuset » quoad substantiam inseri debent in aliqua parte tituli de sacramento poenitentiae.

Concordant omnes.

Rev.mus quintus Consultor declarat quod mentio de consuetudine reprobanda non est facienda. Placet.

Exc.mus octavus Consultor proponit ut dicatur: « ...sunt unicus modus... » loco « ...manent unicus modus... ». Placet.

Rev.mus septimus Consultor proponit ut mentio fiat de iure divino secundum mentem normae quae dicit: « praeter praeceptum divinum... ».

Respondet Rev.mus Secretarius ad. quod in Codice non debet fieri sermo de iure divino.

Normas II et III

Concordant omnes ut norma assumi possit quoad substantiam, quia notio de absolutione generali poni debet in Codice.

Rev.mus primus Consultor declarat quod norma IIa non sufficit ut notio de absolutione generali modo impertienda, quia mentio non fit de obligatione confessionis individualis.

Rev.mus quintus Consultor animadvertit quod de hoc agitur in norma VIa ubi dicitur: « ...simul proponat singillatim confiteri debito tempore peccata gravia quae in praesenti ita confiteri nequeat ».

Rev.mus tertius Consultor praefert ut sermo fiat de obligatione ad confessionem individualement in norma VIIa.

Rev.mus Secretarius ad. proponit casus in quibus admitti potest absolutio generali modo impertienda in § 1 recenseantur:

- 1) quando imminet mortis periculum et tempus non suppetat ad audiendas singulorum poenitentium confessiones (norma IIa);
- 2) si accedat gravis necessitas (norma IIIa).

Dein proponit ut in § 2 affirmetur quod non sufficit magnus concursus poenitentium, cum confessarii praesto esse possunt.

Rev.mus quintus Consultor animadvertit quod magnum est damnum quod « poenitentes, absque sua culpa, gratia sacramentali, vel sacra Communionem diu carere cogantur ».

Rev.mus secundus Consultor proponit ut ponantur duae condiciones:

1) quando, attento poenitentium numero, confessoriorum copia praesto non est ad rite audiendas singulorum confessiones;

2) quando urgeat necessitas absolutionis, ne poenitentes, absque sua culpa, gratia sacramentali, vel sacra Communionem diu carere cogantur.

Norma V

Rev.mus Secretarius ad. animadvertit iudicium ferre an adsint condiciones ut liceat absolutionem sacramentalem generali modo conferre, reservari *Episcopo*, collatis consiliis cum aliis membris conferentiae episcopalis, non « Ordinario loci » uti dicitur in norma Va, quia in conferentiis episcopalibus sunt tantummodo Episcopi.

Idem scribit in suo voto Rev.mus tertius Consultor qui sequenti modo proponit textum et rationem:

« Iudicium ferre utrum adsint condiciones de quibus in can. 1, § 2, reservatur Episcopo dioecetano, collatis consiliis cum aliis membris conferentiae episcopalis ».

Ratio: Textus desumitur ex norma Va. Loquitur tamen de « Episcopo dioecetano » quia sub nomine « Ordinarii loci » veniunt quoque Vicarius generalis et Vicarii episcopales, qui non sunt membra conferentiae episcopalis. Caeterum quando Codex loquitur de Episcopo dioecetano, intelliguntur quoque omnes qui eidem in iure equiparantur.

Ipse Rev.mus tertius Consultor censet quod dici debet Episcopum iudicium exprimere posse generali ac permanenti ordinatione, ne putetur de unoquoque singulari casu Episcopum iudicare debere. Et ipse proponit sequentem textum:

« Hoc Episcopi iudicium potest exprimi generali ac permanenti ordinatione quae respiciat sive sat communem dioecesis conditionem sive peculiarium coetuum adiuncta ».

Rev.mus septimus Consultor declarat quod in secunda parte normae Vae potest dici quod sacerdos, praevidere recurrere tenetur quoties possibile est ad loci Ordinarium, ut absolutionem licite impertiat, quia in his casibus sacerdos recurrere potest etiam ad Vicarium generalem.

Rev.mus Secretarius ad. affirmat quod ordinatio generalis quae deter-

minat casus in quibus illa necessitas habetur spectat ad Episcopum; e contra, praeter casus ab episcopo statutos, sacerdos, si quae alia gravis necessitas exurgat, recurrere debet ad Ordinarium loci quia recurrere ad Episcopum saepe est difficile.

Haec propositio placet omnibus.

Norma IV

Quod dicitur in hac norma iam dictum est norma praecedenti can. 158 (CIC 892).

Normas VI et VIII

Rev.mus Secretarius ad. declarat quod condiciones quae requiruntur ut fideles frui possint sacramentali absolutione una simul pluribus data sunt:

- 1) ut sint apte dispositi;
- 2) ut proponant singillatim confiteri debito tempore peccata gravia.

Hoc sufficit pro omnibus.

Rev.mus tertius Consultor proponit ut normam VIIIa ponatur ante normam VIam quia in illa habetur casus generalis.

Rev.mus quintus Consultor notat quod in norma VIIIa habetur aliquid praevium; e contra in norma VIa habentur condiciones necessariae.

Proponit ut ponatur ut § 1 norma IVa et ut § 2 norma VIIIa quia normae intime cohaerent. Placet omnibus.

Norma VII

Rev.mus tertius Consultor proponit ut maneat tantum prima pars.
Placet omnibus.

Norma IX

Concordant omnes ut norma non ponatur in Codice quia est casuistica applicatio aliarum normarum.

Norma X

Rev.mus tertius Consultor ponit quaestionem de opportunitate condendi aliquam normam de celebratione ritus pro absolutione generali modo impertienda.

Rev.mus Secretarius ad. respondet quod potest dici: «ritus servandus..., secundum probatos liturgicos libros, et celebratio sit omnino distincta a Missae celebratione».

Notat Rev.mus quintus Consultor quod haec est norma transitoria et non debet haberi in Codice.

Consentiunt omnes de propositione Rev.mi quinti Consultoris.

Norma XI.

Concordant omnes ut norma non ponatur in Codice.

Norma XII.

Rev.mus tertius Consultor petit utrum Episcopus potest « casus quosdam a generali absolutione excipere, v.gr. casus eorum qui post divortium obtentum, aliud matrimonium contrahunt, vel qui abortum procurarunt, vel alios similes.

Respondet Rev.mus Secretarius ad. quod Episcopus hoc non potest facere quia agitur de dispositione fidelium.

Concordant omnes ut norma non ponatur in Codice.

Norma XIII.

Consentiunt omnes quod hoc dici non debet in Codice.

DISCEPTATIO DE SCHEMATE CANONUM
« DE ABSOLUTIONE SACRAMENTALI IMPERTIENDA »
A REV.MO SECRETARIO AD. PARATO

Rev.mus Secretarius ad. proponit divisionem tituli et textum canonum uti sequuntur:

Ad modum praefationis ponendus est imprimis can. 1 schematis, in quo generalis traditur definitio huius Sacramenti, et agitur successive:

- 1) de necessaria absolutione;
- 2) de ministro sacramenti;
- 3) de subiecto sacramenti.

Caput I deinde haberi potest, cuius titulus est DE ABSOLUTIONIS SACRAMENTALIS IMPERTIENDAE RATIONE

Subsequuntur deinde Caput II, DE SACRAMENTI POENITENTIAE MINISTRO, et Caput III, DE SACRAMENTI POENITENTIAE SUBIECTO.

SCHEMA CANONUM PRO PROPOSITO CAPITE I

Can. 2

Individualis et integra confessio atque absolutio unicus sunt modus ordinarius, quo fideles se cum Deo et Ecclesia reconcilient, nisi impossibilitas physica vel moralis ab huiusmodi confessione excuset.

Can. 3

§ 1. Firmis praescriptis can. 4 quivis sacerdos absolutionem pluribus insimul poenitentibus, sine praevia individuali confessione, generali modo impertire potest, immo vel debet:

1° si immineat periculum mortis et tempus non suppetat sacerdoti vel sacerdotibus ad audiendas singulorum poenitentium confessiones; quo in casu, praemittatur, si tempus suppetat, brevissima exhortatio ut actum contritionis quisque elicere curet;

2° si accedat gravis necessitas, videlicet, quando, attento poenitentium numero, confessariorum copia praesto non est ad rite audiendas singulorum confessiones intra congruum tempus, ita ut poenitentes, sine propria culpa, gratia sacramentali aut Sacra Communione diu carere cogantur; quo tamen in casu, christifideles de requisitis ad normam can. 4 moveantur.

§ 2. Ad impertiendam pluribus insimul poenitentibus absolutionem generali modo, non sufficit, cum confessarii praesto esse possint, solus magnus poenitentium concursus, qualis haberi potest in magna aliqua festivitate aut peregrinatione.

§ 3. Iudicium de verificatis condicionibus ad normam § 1, 2° requisitis pertinet:

1° ad Episcopum dioecesanum, collatis cum aliis membris Episcoporum Conferentiae consiliis; qui quidem generali quoque ordinatione casus talis necessitatis determinare potest;

2° ad quemlibet sacerdotem, si praeter casus ab eodem Episcopo statutos, alia gravis exurgat necessitas sacramentalem absolutionem una pluribus impertiendi; quo tamen in casu sacerdos, ut licite absolutionem impertiat, obligatione tenetur, quoties possibile sit, praevis recurrendi ad loci Ordinarium; secus de huiusmodi necessitate ac de data absolutione eundem Ordinarium quam primum certiore faciat.

Can. 4

§ 1. Ut christifidelis sacramentali absolutione una simul pluribus data frui valeat, requiritur ut apte sit dispositus utque insimul sibi proponat singillatim debito tempore confiteri peccata gravia quae in praesens ita confiteri nequit.

§ 2. Caveat christifidelis, peccati gravis sibi conscius, ne, habita quidem copia confessoriorum, de industria aut neglegentia obligationi confessionis individualis satisfacere declinet, occasionem qua absolutio simul pluribus detur expectans.

Can. 5

Firma manente obligatione de qua in can. 147, iis cui communi absolutione gravia peccata remittuntur, ad confessionem auricularem accedat antequam novam huiusmodi absolutionem sit recepturus, nisi moralis obstet impossibilitas.

Can. 6

In casibus in quibus absolutio sacramentalis generali modo pluribus insimul impertitur, servantur ad praeparatoriam celebrationem liturgicam et absolutionis ritum praescripta probatorum librorum liturgicorum.

Ad titulum Capitis I (novum)

Rev.mus primus Consultor proponit ut dicatur « modo », loco « ratione » aut dicatur « de ratione qua absolutio sacramentalis... ».

Rev.mus quartus Consultor proponit ut dicatur simpliciter « de absolutione sacramentali ».

Placet haec propositio Rev.mi quarti Consultoris.

Placet omnibus etiam divisio proposita huius tituli.

Can. 2

Rev.mus primus Consultor proponit ut dicatur post verbum « fidelis » « peccati gravi sibi conscius ». Placet omnibus.

Rev.mus tertius Consultor declarat quod non bene sonat verba « unicus sunt modus ».

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut dicatur « unicum constituunt modum... ». Placet omnibus.

Can. 3

Ad par. 1: Rev.mus tertius Consultor declarat quod non sufficit ut dicatur «quivis sacerdos potest, immo vel debet» et proponit ut dicatur «quod quivis sacerdos facultatem habet ipso iure...».

Declarat etiam quod dubitat de opportunitate verbi «debet».

Rev.mus secundus Consultor proponit ut tollantur verba «quivis sacerdos» et ut ponatur textus in passivo modo, scilicet: «...absolutio pluribus... impertiri potest, immo vel debet».

Placet omnibus propositio et emendatio Rev.mi secundi Consultoris.

Ad n. 1: Rev.mus quartus Consultor proponit ut altera vice loco «si tempus suppetat» dicatur «si fieri possit». Placet, quia secus bis habetur eadem expressio.

Ad n. 2: Placet uti est.

Ad par. 2: Rev.mus tertius Consultor proponit ut loco «cum confessarii praesto esse possint» dicatur «confessarii numero sufficienti».

Non placet.

Rev.mus quartus Consultor proponit e contra ut dicatur «confessariorum copia praesto esse potest». Placet omnibus.

Rev.mus quintus Consultor declarat quod verbum «non sufficit» potest intelligi sive de liceitate sive de validitate, itaque adhiberi debent verba ex quibus pateat agi de liceitate, non de validitate. Hac de causa in norma IIIa ex. gr. textus propositus provenit, dicitur «vero non licet».

Ratio est, quia supposita debita iurisdictione ex parte confessarii, et debita dispositione ex parte poenitentis, defectus integritatis materialis non impedit fructuosam receptionem absolutionis.

Si adest bona fides, videtur absolutio valida.

Rev.mus tertius Consultor affirmat quod textus S. Poenitentiariae qui est fundamentum, declarat quod si non adsunt omnes condiciones, afficit liceitatem, non validitatem.

Rev.mus primus Consultor declarat quod formula proposita non sufficienter clare exprimit utrum agatur de validitate, an solum de liceitate absolutionis sub his condicionibus datae. Iam autem videtur agi de liceitate tantum. Nam si — bona fide ex parte ministri et ex parte poenitentium — talis absolutio generalis daretur, omnia elementa ad validitatem requisita haberentur. Si nos diceremus id respicere validitatem (quod in novo iure condendo fieri posset), magis requireremus quam *Normae pastorales* S. Congregationis pro Doctrina Fidei (cf. n. III).

Rev.mus Secretarius ad. proponit textum ita emendatum: « Pluribus in-
simul poenitentibus absolutionem generali modo impertire non licet, cum
confessariorum copia praesto esse possit, solius magni poenitentium con-
cursus ratione, qualis haberi potest in magna aliqua festivitate aut peregri-
natione ».

Rev.mus secundus Consultor proponit verbum « potest » loco « possit ».

Placet omnibus. Proponit etiam ut deleatur verbum « peregrinatione ».
Non placet haec altera propositio.

Itaque textus a Rev.mo Secretario ad. propositus cum emendatione
Rev.mi secundi Consultoris de verbo « potest » placet omnibus.

Ad par. 3: Rev.mus primus Consultor proponit ut ponatur verbum
« impletis » loco « verificatis ». Non placet.

Rev.mus septimus Consultor proponit ut verbum « verificatis » suppri-
matur.

Rev.mus quintus Consultor declarat quod est quaestio an adsint condi-
tiones necne.

Rev.mus secundus Consultor proponit ut dicatur « iudicium an adsint
condiciones... ».

Rev.mus tertius Consultor declarat quod cum his verbis innuitur quod
Episcopus in singulis casibus debet iudicium ferre de verificatis condicionibus.

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut dicatur « an dentur condiciones ...
requisitae... ». Placet omnibus.

Rev.mus septimus Consultor proponit ut dicatur « ferre » ante « perti-
net ».

Placet omnibus.

Ad n. 1: Placet uti est.

Ad n. 2: Rev.mus septimus Consultor proponit ut ponatur post « sacer-
dos » verbum « adprobatus ».

Rev.mi tertius Consultor et Secretarius ad. respondent quod iam hoc
implicite dicitur quando sermo fit de copia confessoriorum.

Rev.mus primus Consultor praefert verbum « confessarium » loco « sa-
cerdotem ».

Rev.mus quintus Consultor proponit ut supprimatur verbum « quemli-
bet » et dicatur tantum « sacerdotem », quia deest relatio cum n. 1 ubi dici-
tur « ad Episcopum... » si dicitur « ad confessarium ».

Respondet Rev.mus primus Consultor quod, si remanet vox
« sacerdotem », verbum « quemlibet » potest esse periculum e contra si loco
« sacerdotem » ponitur « confessarium » verbum « quemlibet » potest rema-
nere sine difficultate.

Respondet Rev.mus quintus Consultor quod iudicium ferre de conditionibus potest quilibet sacerdos.

Concordant omnes ut maneat « sacerdotem » tantum.

De reliquo textu placet uti est.

Can. 4

Ad par. 1: Rev.mus Secretarius ad. in secunda linea proponit ut dicatur: « ...non tantum requiritur ut apte sit dispositus, sed ut insimul... » loco « requiritur ut apte sit dispositus utque in simul... ».

Concordant omnes. De reliquo textus placet uti est.

Ad par. 2: Placet textus uti est.

Can. 5

Rev.mus tertius Consultor proponit ut dicatur « nisi iusta causa impediatur » loco « nisi moralis obstet impossibilitas ».

Placet omnibus textus cum emendatione Rev.mi tertii Consultoris.

Can. 6

Rev.mus tertius Consultor proponit textum sequenti modo emendatum: « In absolutione sacramentali impertienda servantur probatorum librorum liturgicorum praescripta ».

Placet omnibus.

DISCEPTATIO DE SCHEMATE CANONUM
« DE INDULGENTIIS »

Can. 155

Textus placet omnibus uti est.

Can. 156

Ad par. 1: Placet uti est.

Ad par. 2: Rev.mus septimus Consultor proponit ut ponatur haec paragraphus ut § 1 can. 157 subsequentis.

Placet omnibus.

Can. 157

Secundum propositionem Rev.mi septimi Consultoris, ab omnibus probatam, § 2 can. 156 fit § 1 huius canonis, qui fit § 2.

Can. 158

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut dicatur tantum « iure » loco « in iure », in ultima linea.

Placet omnibus haec emendatio.

Can. 159

Ad n. 2: Rev.mus tertius Consultor proponit ut supprimantur verba « nisi condiciones... ».

Rev.mus quintus Consultor aestimat hanc normam omitti posse.

Ratio: Inferiores Romano Pontifici, vix unquam possunt concedere indulgentiam plenariam. Unde practice ageretur tantum de concedenda indulgentia partiali, operi iam indulgentiis ditato.

Iam vero, si opus ditatur indulgentia plenaria, absurdum est quidquam ipsi adiungere.

Si vero ditatur indulgentia partiali, olim intelligebatur haec adiunctio, quia 300 diebus concessis v.g. a Sede Apostolica vel a Cardinali, adiungebantur alii 300 ab alio Cardinali, vel 100 ab Episcopo. Nunc autem, iuxta novum conceptum indulgentiae partialis, haec additio dari non potest, quia iuxta normam 6am fructui indulgentiae proportionatur fructio satisfactorio obtento per ipsum opus praestitum, cui Ecclesiae ope adnectitur « tantadem poenae temporalis remissio quantam ipse (fidelis) sua actione iam percepit ». Nec ullibi dicitur multiplicatis concedentibus augeri remissionem.

Consequenter, utile est ut norma 10 maneat in *Enchiridion Indulgentiarum*, ut exponatur in doctrina de indulgentiis, sed nullo modo necesse est ut in Codice, ubi haec materia sat fuse exponitur, ideoque potius restringi debet quoad extensionem, explicite ponatur.

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut 2° supprimatur. Placet omnibus.

Rev.mus septimus Consultor proponit ut 1° huius canonis includatur in canone praecedenti.

Concordat Rev.mus Secretarius ad. sed proponit ut 1° includatur in canone praecedenti ut § 2. Haec propositio Rev.mi Secretarii ad. placet omnibus.

Can. 160

Rev.mus septimus Consultor proponit ut loco « dioecesi » dicatur « territorio ». Non placet.

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut dicatur « ditione » loco « dioecesi ». Placet omnibus.

Rev.mus secundus Consultor proponit ut verba « etiamsi iidem Missae... » in ultima linea n. 2 supprimantur, nam possunt hoc facere etiam extra Misam.

Placet omnibus emendatio.

Rev.mus tertius Consultor proponit ut loco « designandis » dicatur « eligendis ».

Omnes praeferunt verbum « designandis ».

Can. 161

Textus placet uti est.

Can. 162

Textus placet omnibus uti est.

Can. 163

Rev.mi secundus et quartus Consultores proponunt ut canon supprimatur, quia si alia concessio fit, fit per S. Poenitentiarium.

Tempore Codicis multae indulgentiae dabantur in audientia aliqua privata, hodie non amplius fit.

Concordant omnes ut canon supprimatur.

Can. 164

Textus placet omnibus uti est.

Can. 165

Textus placet omnibus uti est.

Can. 166

Rev.mus septimus Consultor proponit ut tollatur ultima pars.

Respondet Rev.mus Secretarius ad. quod hoc nocet claritati.

Concordant omnes ut canon maneat uti est.

Can. 167

Ad par. 1: Rev.mus tertius Consultor dubitat utrum retinenda sit enumeratio obiectorum pietatis. Respondet Rev.mus secundus Consultor quod illa enumeratio est taxativa.

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut supprimantur verba « pietatis obiecto » ita ut textus erit:

« Christifidelis qui crucifixo vel cruce, corona, scapulari aut numismate a quovis sacerdote rite benedictis, pia utitur mente, consequitur indulgentiam partialem ».

Placet.

Ad par. 2: Textus placet omnibus uti est.

Can. 168

Ad par. 1: Rev.mus septimus Consultor proponit ut § 1 omittatur. Concordat Rev.mus quintus Consultor et proponit ut haec praescriptio maneat tantum in instructionibus.

Maioritas Consultorum, octo contra quattuor, concordant ut § 1 maneat.

Ad par. 2: Textus placet uti est.

Can. 169

Ad par. 1: Concordant omnes ut supprimantur ultima verba, scilicet « subditus concedentis ».

Ad par. 2: Exc.mus octavus Consultor praeferit fortasse « persona » loco « subiectum ». Concordant omnes ut textus maneat uti est.

Can. 170

Textus placet omnibus uti est.

Can. 171

Rev.mus secundus Consultor proponit ut post « in qua » adiungantur verba « nisi aliud statuatur ».

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut ultima linea sequenti modo emendetur: « ...visitatio, simulque, nisi aliud statuatur, orationis dominicae et fidei symboli recitatio ».

Placet omnibus haec emendatio Rev.mi Secretarii ad.

Can. 172

Ad par. 1: Rev.mus primus Consultor petit utrum necessaria sit confessio pro eo qui peccata gravia non habet.

Respondet Rev.mus secundus Consultor quod requiritur sacramentalis confessio, quia est condicio ut indulgentia obtineatur. Textus placet uti est.

Ad par. 2: Rev.mus Secretarius ad. proponit ut loco «instituitur» dicatur «praestatur». Placet omnibus haec emendatio.

Ad par. 3: Placet textus uti est.

Can. 173

Textus placet uti est.

Can. 174

Exc.mus sextus Consultor proponit ut canon supprimatur.

Rev.mus Secretarius ad. concordat et proponit ut dicatur in can. 172 § 1 ultima linea «oratio quaelibet ad mentem Summi Pontificis».

Placet omnibus propositio Rev.mi Secretarii ad. itaque canon cadit.

Can. 175

Textus placet omnibus uti est.

Can. 176

Notat Exc.mus sextus Consultor quod fideles de declaratione vel S. Poenitentariae vel Ordinariorum nil sciunt.

Rev.mus quintus Consultor dubitat de necessitate huius normae in Codice, nunc sufficiunt tres condiciones de quibus in can. 172.

Concordant omnes ut canon supprimatur.

Can. 177.

Placet textus uti est.

Can. 178

Rev.mus secundus Consultor proponit ut tollantur verba «vel Hierarchy».

Placet omnibus.

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut dicatur «loci Ordinarius» loco «Ordinarius loci». Placet omnibus.

De reliquo canon placet omnibus uti est.

Can. 179

Concordant omnes ut supprimatur canon.

DISCEPTATIO DE SCHEMATE
« DE SACRAMENTO UNCTIONIS INFIRMORUM »

Can. 180 (CIC 937)

Textus placet uti est. Verbum « olivarum » cadit.

Caput I

DE UNCTIONIS INFIRMORUM MINISTRO

Can. 181 (CIC 930)

Ad par. 2: Rev.mus septimus Consultor proponit ut dicatur cappellatum in nosocomiis licentia non egere.

Respondet Rev.mus quintus Consultor quod hoc innuitur in verbis « de licentia saltem praesumpta ».

Textus placet omnibus uti est.

Caput II

DE UNCTIONIS INFIRMORUM SUBIECTO

Can. 182 (CIC 940)

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut textus § 2 mutetur ad mentem responsi dati a S. Congregatione pro Doctrina Fidei, quod ita sonat: « Subiectum sacramenti est fidelis qui propter infirmitatem vel senium graviter aegrotat ». Hoc sacramentum iterari potest si infirmus, post susceptam unctionem convaluerit, vel si, eadem infirmitate perdurante, discrimen gravius fiat ».

Placet omnibus propositio haec et petitur ut duplex § componatur.

Can. 183 (CIC 941)

Textus placet uti est.

Can. 184 (CIC 942)

Textus placet omnibus uti est.

Can. 185 (CIC 943)

Textus placet omnibus uti est.

Can. 186 (CIC 944)

Textus placet omnibus uti est, excepto Rev.mo septimo Consultore, qui praefert ut loco « tempore opportuno » dicatur « cito et tempestive ».

Caput III

DE REBUS ET CAEREMONIIS UNCTIONIS INFIRMORUM

Can. 187 (CIC 945)

Rev.mus tertius Consultor declarat quod canon iam recognitus fuit antea adhibendo ad litteram textum *Ordinis benedicendi oleum*, n. 8:

« § 1. Oleum in unctione infirmorum adhibendum debet esse ad hoc benedictum ab Episcopo aut a presbytero qui vi ipsius iuris aut peculiaris concessionis Sanctae Sedis hac facultate gaudet.

§ 2. Ipso iure oleum adhibendum in unctione infirmorum benedicere possunt:

1° qui iure Episcopo dioecesano aequiparantur;

2° in casu verae necessitatis, quilibet presbyter ».

Textus hic, uti est, recipiendus est.

Can. 188 (CIC 947)

Rev.mus secundus Consultor proponit ut loco « in aliquo sensu » dicatur « in alia corporis parte ».

Proponit etiam ut supprimatur verbum « praescripto » et includatur verbum « praescriptis » post « ordine et modo ».

Textus placet uti est cum emendationibus a Rev.mo secundo Consultore propositis.

DISCEPTATIO DE SCHEMATE
« DE ORDINE »

Rev.mus tertius Consultor in suo voto facit sequentes animadversiones:

Postquam Coetus noster « De Sacramentis » primam recognitionem canonum « De Ordine » peregit, duo documenta prodierunt scilicet Litterae motu proprio *Ministeria quaedam* et *Ad pascendum* quibus disciplina actualis immutatur, immo, sub certis respectibus, funditus recognoscitur.

Elementa maioris momenti sunt sequentia:

- 1) Status clericalis incipit cum diaconatu (cf. *Ministeria quaedam*, I);
- 2) « Ordines minores » deveniunt « ministeria » et ad duo reducuntur (cf. *Ministeria quaedam*, II et IV);
- 3) Haec « ministeria » committi possunt laicis (cf. *Ministeria quaedam*, III), tamen habentur ut praerequisita ad diaconatum (cf. *Ministeria quaedam*, XI);
- 4) Subdiaconatus supprimitur (cf. *Ministeria quaedam*, IV);
- 5) Possibilitas datur instituendi alia « ministeria » iure particulari (cf. *Ministeria quaedam*, introd.);
- 6) Omnia memorata « ministeria » (qui non sunt amplius « ordines »; conferuntur « institutione », non « ordinatione » (cf. *Ministeria quaedam*, V-VII, IX et XIII);
- 7) Ex dictis omnino tollitur distinctio inter ordines maiores et minores;
- 8) Ritus inducitur admissionis inter candidatos ad diaconatum et presbyteratum (cf. *Ad pascendum*, introd. et I), sed religiosi hoc ritu non tenentur (cf. *Ad pascendum*, I). Et videtur quod hic ritus praecedere debet lectoratui et acolythatui. Sed laici ad haec ministeria promovendi hoc ritu non tenentur.
- 9) Consecratio ad coelibatum publico ritu fieri debet, qui ordinationem diaconalem praecedet, nisi agatur de ordinandis diaconis uxoris (cf. *Ad pascendum*, VI).

Quaestio autem *praevia* ponitur, scilicet, in quam Codicis parte agendum sit de ministeriis.

Rev.mus tertius Consultor censet canones de ministeriis poni posse ubi agitur de personis aut ubi de laicis. Ministeria enim non reservantur clericis nec aliquem in statu clericali constituunt.

Rev.mus Secretarius ad. declarat canones de ministeriis, qui certius sunt componendi, locum suum non habere in titulo «De Ordine», cum ministeria non sint ordines. Attamen, in titulo «De Ordine», affirmandum est neminem ad diaconatum admitti posse, nisi receperit ministeria, sicut eum ad diaconatum recipi non potest, nisi postquam inter candidatos ad ordines sacros admissus fuerit. Aestimat vero haec esse ordini praerequisita, et ideo de illis agendum esse sub Art. — de requisitis in subiecto ordinationis, aut sub capite de iis quae sacrae ordinationi praeire debent. Mavult vero ut de iis habeantur canones in citato Art. — de requisitis in subiecto ordinationis. Concordant alii.

Proponit igitur Rev.mus Secretarius ad. ut sub hoc articulo ponantur canones secundum ordinem qui sequitur:

- 1) canon de requisita confirmatione (nunc can. 208);
- 2) canon de qualitatibus moralibus requisitis (nunc can. 209);
- 3) canon de requisita admissione inter candidatos ad ordines; qui canon complecti potest diversas paragraphos;
- 4) canon de requisita receptione ministeriorum lectoratus et acolythatus; in eo etiam de requisitis interstitiis sermo fieri potest;
- 5) canon de necessaria declaratione, qua candidatus ad ordines affirmat se sponte ac libere ordinem recepturum esse;
- 6) canon de necessaria consecratione publica, qua candidatus sacrum coelibatum assumit;
- 7) canon dein sequitur, qui nunc habetur in can. 207, sed sola eius § 2.

Ordo propositus placet consultoribus, qui consentiunt ut iuxta hunc ordinem canones componantur et in proxima sessione subiiciantur, aliis etiam canonibus aptatis ratione habita novorum Motu Proprio.

Considerantur deinde canones qui habentur in schemate antea proposito, inde a Cap. II, Art. 1.

Art.1: DE REQUISITIS IN SUBIECTO SACRAE ORDINATIONIS

Quaestiones particulares

Ordo dicendi, supra propositus, admittitur, et de diversis requisitis quaedam proponuntur animadversiones.

1. *De admissione pro candidatis ad ordines requisita*

In *Ad. pascendum*, I (a), legitur: «Ritus inducitur admissionis inter candidatos ad diaconatum et presbyteratum. Ad quam admissionem rite habendam requiritur libera aspirantis petitio, propria manu exarata ac subscripta, necnon competentis Superioris ecclesiastici acceptio scripto data, vi cuius Ecclesiae electio efficitur.

«Professi in religionibus clericalibus, ad presbyteratum contententes, hoc ritu non tenentur».

Rev.mus quintus Consultor animadvertit pro religiosis non requiri ritum admissionis, sed requiri acceptionem.

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut dicatur «Admissio cum ritu», quia non agitur de ritu ordinationis, sed de admissione, quae quidem cum quodam fit ritu.

Animadvertit Rev.mus Secretarius ad. quod verba «vi cuius Ecclesiae electio efficitur» ponunt quaestionem de Episcopo cui competit admissionem recipere. In schemate, uti huiusque erat propositum, de hac quaestione norma praebeatur in can. 191, cuius tenor erat:

«Episcopus proprius, quod attinet ad ordinationem clericorum saecularium, est Episcopus dioecesis, in qua promovendus per subdiaconatum est incardinatus; quod attinet ad ordinationem eorum qui non iam sunt clerici et clerici saeculari adscribi intendunt, est Episcopus dioecesis, in qua promovendus habet domicilium, aut dioecesis in qua habet originem, aut dioecesis cui, de consensu Episcopi dioecesis domicilii, promovendus sese devovere intendit».

Rev.mus tertius Consultor aestimat quod ista admissio et electio non debent habere effectum quoad Episcopum proprium pro incardinatione, quia candidatus potest mutare suam sententiam in decursu annorum.

Hic evidenter agitur de acceptione ab Ecclesia universali non particulari, nam in *Ad. pascendum*, I (c), describuntur effectus huius acceptionis, uti sequitur:

«Vi acceptionis candidatus vocationem suam peculiari modo curare altiusque excolere debet; atque ius acquirit ad necessaria subsidia spiritualia, quibus vocationem suam colere atque Dei voluntati, nulla condicione apposita, obtemperare possit».

Animadvertit Rev.mus Secretarius ad. quod tantummodo per diaconatum incardinatus est quis in determinata dioecesi.

Rev.mus primus Consultor quoque aestimat hic agi de electione quae se refert ad Ecclesiam universam, non ad Ecclesiam particularem.

Rev.mus septimus Consultor declarat quod Episcopus qui admisit can-

didatos ad ministeria debet habere aliquam praefereantiam quoad promotionem ad diaconatum.

Rev.mus Secretarius ad. censet quod per illam electionem, quae est electio facta ab Ecclesia, Episcopus qui eligit habet ius quoddam praefereantiae.

Exc.mus octavus Consultor notat quod quaestio non se refert ad incardinationem, sed ad ritus qui praecedunt incardinationem.

Rev.mus Secretarius ad. affirmat quod quaestio est quisnam Episcopus possit incardinare diaconum, Episcopus ratione illius admissionis an Episcopus ratione domicilii vel ratione originis.

Rev.mus quintus Consultor censet ampliari debere numerum Episcoporum qui incardinare possint. Hic potest dici quod admissio fieri potest per Episcopum secundum praescripta can. 191.

Rev.mus tertius Consultor proponit ut dicatur « Episcopus de quo in can. 191 ».

Consentit Rev.mus Secretarius ad.

Rev.mus primus Consultor proponit ut dicatur in hac norma quod candidatus postea mutare potest suam electionem ita ut electio illa non habeat effectum iuridicum.

Rev.mus quintus Consultor declarat quod Episcopus qui potest incardinare potest etiam admittere candidatos; itaque Episcopi qui candidatos promovere possunt ad diaconatum, id est qui possunt eos incardinare, sunt Episcopi ratione originis, ratione domicilii, et Episcopus qui candidatos acceptavit.

Rev.mus Secretarius ad. declarat quod assumi potest textus can. 191 ut praecise determinetur quisnam Episcopus potest admittere eos qui admissionem postulant: competens est ille Episcopus, in cuius dioecesi candidatus habet domicilium vel originem aut Episcopus qui eum admisit de consensu Episcopi in cuius dioecesi ille habet domicilium vel originem.

Concordat Rev.mus tertius Consultor qui declarat quod hoc modo candidatus potest petere admissionem et incardinationem ab alio Episcopo, de consensu Episcopi in cuius dioecesi habet domicilium vel originem.

Rev.mus septimus Consultor petit utrum qui ad novitiatum admisit candidatum habere debet aliquam praefereantiam.

Respondet Rev.mus tertius Consultor quod superior competens pro petitionis acceptance est Episcopus de quo agitur in can. 191, et in clericalibus institutis perfectionis est Superior Maior.

Notat Rev.mus Secretarius ad. quod qui acceptat aliquod ius acquirit.

Rev.mus quintus Consultor declarat quod acceptatio tamen non est incardinatio.

Rev.mus primus Consultor proponit ut parentur duo textus de quibus in proxima sessione disceptari possit.

Rev.mus tertius Consultor proponit ut suffragio subiiciantur quaestiones quae sequuntur:

1) utrum determinari debet Episcopus qui competens est ad admissionem candidati;

2) utrum ille qui admisit habere debeat aliquam praeferentiam ad incardinationem quod attinet.

Ad primum, concordant omnes: determinandus est Episcopus competens ad admissionem.

Ad secundum, septem (scilicet Exc.mi octavus, decimus, sextus et nonus Consultores et Rev.mi Secretarius ad. et secundus et septimus Consultores) respondent affirmative; quinque (scilicet Rev.mi quintus, tertius, primus, quartus et undecimus Consultores) respondent negative.

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut dicatur quod admissio candidati confertur cum aliquo ritu et hoc ritu non tenentur professi in religionibus clericalibus, ad presbyteratum contententes. Placet omnibus.

2. *De ministeriis recipiendis ab illis qui ad ordines accedere intendunt*

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut in Codice ponatur quoad substantiam id quod praecipitur *Ad pascendum*, II, scilicet:

« Candidati ad diaconatum, sive permanentem, sive transeuntem, et ad presbyteratum ministeria lectoris et acolythi debent recipere, nisi ea iam receperint, et per congruum tempus exercere, quo melius disponantur ad futura munera Verbi et altaris. Dispensatio a recipiendis ministeriis pro iisdem candidatis Sanctae Sedi reservatur ».

Placet omnibus haec propositio.

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut hic sermo fiat etiam de interstitiis, de quibus in *Ad pascendum*, IV, haec habetur norma:

« Interstitia a Sancta Sede vel a Conferentiis Episcopalibus statuta, servantur inter collationem — per curriculum theologicum habendam — ministeriorum lectoratus et acolythatus, necnon inter collationem acolythatus et diaconatus ».

Placet omnibus haec propositio exceptis Rev.mis quarto et septimo Consultores, qui declarant quod interstitia non pertinent ad hanc materiam.

Rev.mus tertius Consultor petit utrum can. 210, § 1 ubi fit sermo de intervallo sex saltem mensium inter diaconatum et presbyteratum cadat necne.

Respondet Rev.mus Secretarius ad. quod ille canon manere debet, quia hic tantum agitur de interstitiis inter acolythatum et lectoratum.

3. *De declaratione a candidatis ad ordines facienda*

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut hic ponatur norma, quae quoad substantiam refert *Ad.pascendum*, n. V. Norma proponitur:

« Candidatus ad diaconatum, ut ad ordinationem diaconatus admitti possit, Episcopo dioecesano, in clericalibus institutis perfectionis, Superiori Maiori, tradat declarationem propria manu subscriptam, qua testificetur se sponte ac libere sacrum ordinem suscepturum esse ».

Placet omnibus quoad substantiam.

4. *De consecratione caelibatus*

Rev.mus Secretarius ad. proponit deinde ut sermo fiat de consecratione propria caelibatus sequenti modo: « Candidatus ad diaconatum, qui non sit uxoratus, antequam ad diaconatum admittatur ritu praescripto publice sacrum caelibatum assumere debet ».

Rev.mus quintus Consultor quaestionem movere de votis religiosorum quae sunt publica et proponit ut aliquid dicatur de religiosis.

Rev.mus primus Consultor notat quod in casu religiosorum sermo esse debet de renovatione consecrationis iam factae.

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut ponatur verbum « saecularis » post « candidatus » et ut adiungantur textui verba sequentia: « Religiosus, consecrationem antea iam factam renovet ».

Placet omnibus quoad substantiam.

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut, iuxta ordinem supra indicatum, hic ponatur can. 207 sed tantummodo § 2 sequenti modo emendata: « Admissus ad ministeria de quibus in can. 208 qui diaconatum suscipere recuset, itemque diaconus qui ad presbyteratum promoveri recuset, non potest ad eosdem ordines recipiendos cogi, nec a ministeriorum aut ordinum receptorum exercitio prohiberi, nisi impedimento detineatur canonico aliave gravis, iudicio Episcopi, obsit causa ».

Placet omnibus quoad substantiam.

Can. 208 (CIC 974, § 1)

Placet omnibus textus.

Can. 209 (CIC 974, § 2)

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut adiungantur canonici verba « habitatione parentum » vel similia, quia suppressa est norma de requisita legitimitate natalium.

Notat Rev.mus primus Consultor quod videntur sufficere verba eiusdem canonis «certo integris gaudeant moribus aliisque qualitatibus physicis et psychicis».

Placet omnibus propositio Rev.mi Secretarii ad.

Can. 210 (CIC 975)

Rev.mus tertius Consultor proponit ut expungantur in § 1 quae sese referunt ad subdiaconatum. Placet omnibus.

Can. 211 (CIC 976)

Rev.mus tertius Consultor notat quod *Ad pascendum*, VII (a), est ambiguus quia agitur tantum de diaconis promovendis ad presbyteratum. Animadvertit Rev.mus quintus quod de diaconatu permanenti agitur sub VII (b).

Rev.mus tertius Consultor proponit sequentes emendationes:

Ad par. 1: «Diaconi ad presbyteratum vocati ne ordinentur ad diaconatum, nisi prius expleverit studiorum curriculum, Apostolicae Sedis praescriptionibus definitum».

Rev.mus Secretarius ad. declarat se textum paraturum.

Ad par. 2: Placet uti est.

Ad par. 3: Manere potest, sed expungenda est mentio subdiaconatus.

Ad par. 4: Placet omnibus uti est.

Can. 212 (CIC 977 et 979 § 3)

Declarant omnes quod canon non potest admitti uti est.

Rev.mus tertius Consultor proponit textum sequenti modo emendatum qui placet omnibus quoad substantiam:

«Nemo potest, nisi de peculiari Summi Pontificis licentia, diaconatum et presbyteratum eodem die recipere».

Can. 213 (CIC 979-982)

Ad par. 1: Rev.mus Secretarius ad. proponit ut post verbum «ordinarius» dicatur «providere debet ut sufficienti eorum sustentationi, prospiciatur...». Placet omnibus.

Ipse Rev.mus Secretarius ad. declarat quod haec norma valet etiam pro diaconis permanentibus, verbis quidem aptatis.

Ad par. 2: Placet omnibus uti est.

Art. 2: DE IRREGULARITATIBUS

Can. 214 (CIC 983)

Placet omnibus uti est.

Can. 215 (CIC 984)

Rev.mus Secretarius ad. declarat quod n. 1 in alio coetu suppressus fuit. Concordant omnes ut supprimatur.

Rev.mus secundus Consultor ad n. 2 proponit sequentem emendationem: « Qui ob corporis debilitatem aut deformitatem convenienter altaris... ». Placet omnibus.

NN. 3 et 4 placent omnibus uti sunt.

Can. 216 (CIC 985)

Ad n. 5. Rev.mus Secretarius ad. proponit ut ponatur verbum « constitutis » post « posuerunt » et ut supprimatur verbum « clericis ». Placet haec emendatio.

Can. 217 (CIC 987)

Placet omnibus uti est.

Can. 218

Rev.mus secundus Consultor proponit ut addatur n. 7, et proponit textum: « Qui, confessarii munere sacrilege abutentes, sigillum sacramentale directe violaverint, aut complicem in peccato gravi contra VI Decalogi praeceptum absolverint vel poenitentem ad idem peccatum sollicitaverint ».

Placet quoad substantiam.

Can. 219

Placet omnibus uti est.

Can. 220 (CIC 989)

Rev.mus secundus Consultor proponit ut adiungantur verba « vel ex abusu numeris confessarii, de quo in can. 218, n. 7 ».

Placet omnibus haec propositio.

Can. 221

Ad par. 2: Rev.mus Secretarius ad. proponit ut deleatur n. 1.

Placet omnibus.

Ad par. 3: Rev.mus secundus Consultor proponit sequentem textum qui placet omnibus:

«Apostolicae Sedi etiam reservatur dispensatio ab irregularitatibus ad exercitium ordinis suscepti de quibus in can. 216, n. 2, in casibus tantum publicis, atque in eodem canone, n. 3 et in canone 218, n. 7, etiam in casibus occultis».

Placet.

Can. 222

Aestimat Rev.mus Secretarius ad. supprimendam esse necessitatem dispensationis. Consentunt omnes et Rev.mus secundus Consultor proponit textum sequentem:

«In casibus occultis, si ex irregularitatum observantia imminet gravis damni vel infamiae periculum, qui irregularitatibus detinetur ordines susceptos licite exercere potest, firma obligatione recurrenti quamprimum, reticito nomine et per confessarium, ad Episcopum aliumve Superiore facultate praeditum vel, si agatur de irregularitatibus de quibus in can. 216, n. 3 et in can. 218, n. 7, ad S. Poenitentiarium».

Placet omnibus haec norma, quoad substantiam.

Can. 223 (CIC 991)

Ad par. 1: Rev.mus secundus Consultor proponit sequentem emendationem: «exceptis irregularitatibus de quibus in can. 216, n. 3 et in can. 218, n. 7». Placet omnibus.

Ad par. 2: Placet omnibus sed cum additione «aut ex abusu muneris confessarii».

Ad par. 3: Rev.mus tertius Consultor proponit ut loco «valet pro omnibus ordinibus usque...» dicatur tantum «valet pro diaconatu et presbyteratu». Placet.

Ad par. 4: Consentunt omnes ut supprimatur.

Caput III

DE IIS SACRAE ORDINATIONI PRAEIRE DEBENT

Can. 224

Placet omnibus uti est.

Can. 225

Ad par. 2, n. 1: Rev.mus tertius Consultor proponit sequentem textum:

« Testimonium ordinationis ad diaconatum, si agatur de promovendo ad presbyteratum; si vero agitur de ordinando ad diaconatum, testimonia recepti baptismatis et confirmationis, de acceptatione de qua in can. 206 a, de collatis ministeriis de quibus in can. 206 b, nec non de peracta consecratione de qua in can. 206 c, nisi ordinandus sit uxoratus et promoveatur ad diaconatum permanentem, quo in casu necessarium est quoque testimonium celebrati matrimonii ».

Placet omnibus quoad substantiam.

Ad n. 2: Concordant omnes ut supprimatur.

Ad n. 3: Placet uti est.

Ad par. § 3, n. 1: Placet omnibus uti est.

Ad n. 2: Rev.mus Secretarius ad. proponit ut adiungantur post « maiore » verba « institutis perfectionis ». Placet omnibus.

Ad n. 3: Placet uti est.

Ad n. 4: Placet uti est.

Can. 226

Placet omnibus uti est.

Can. 227

Ad par. 2: Rev.mus Secretarius ad. proponit loco « religiosi » verba « sodalis instituti perfectionis ».

Placet.

Rev.mus tertius Consultor notat quod alia verba adhibenda sunt loco « professionem religiosam », quia sodales instituti saecularis non faciunt professionem religiosam.

Rev.mus Secretarius ad. una cum Rev.mo septimo Consultore proponit ut dicatur « cooptatum fuisse » loco « professionem religiosam emisisse ». Placet omnibus haec emendatio.

Can. 228

Rev.mus primus Consultor proponit ut minuantur dies exercitiorum spiritualium si in eodem anno habeatur ordinatio tum ad diaconatum, tum ad presbyteratum.

Rev.mus septimus Consultor proponit ut omittantur verba « per sex saltem integros dies ». Placet omnibus.

Caput IV

DE RITIBUS ATQUE DE LOCO ET TEMPORE ORDINATIONIS

Can. 229 (CIC 1002)

Concordant omnes ut supprimatur.

Can. 230 (CIC 1006)

Ad par. 1 et 2: Placent uti sunt.

Rev.mus tertius Consultor proponit ut adiungatur § 3 sequenti modo:

« Collatio ministeriorum lectoris et acolythi, sicut et consecratio caelibatus, publice et intra Missarum sollemnia fieri debent ».

Non placet, quia ministeria non sunt ordines.

Can. 231 (CIC 1007)

Placet uti est.

Can. 232 (CIC 1008)

Concordant omnes ut verba « in quorum collatione... » usque ad finem canonis supprimantur.

Can. 233 (CIC 1009)

Rev.mus primus Consultor declarat quod statui non debet norma ut ordinationes celebrentur in ecclesia cathedrali. Norma placet uti est omnibus aliis consultoribus.

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut supprimatur verbum « semi-publico », et dicatur « sacello » loco « oratorio ».

Placent omnibus hae emendationes.

Caput V

DE ADNOTATIONE AC TESTIMONIO PERACTAE ORDINATIONIS

Can. 234 (CIC 1010)

Textus placet omnibus uti est.

Can. 235 (CIC 1011)

Rev.mus Secretarius ad. proponit loco « de religiosis » agatur « de sodalibus Instituti perfectionis ».

Placet.

Rogatur Rev.mus Secretarius ad. ut pro proxima sessione textum emendatum canonum de Ordine parare velit, et explicit haec Sessio X.

Rev.mus Secretarius ad.

APPENDIX I

SCHEMA CANONUM QUI IAM PROBATI SUNT « DE BAPTISMO »

Caput I

DE BAPTISMI MINISTRO

(de quo in CIC cann. 737-779)

Can. 9 (CIC 737)

§ 1. Baptismus valide confertur tantummodo per ablutionem aquae verae cum legitima verborum forma.

§ 2. Baptismus ministratur sive forma sollemniore, scilicet omnibus servatis ritibus et caeremoniis quae in probatis ritualibus libris praecipiuntur, sive forma simpliciore (cf. *Ordo Baptismi*).

Can. 10 (CIC 738)

§ 1. Minister ordinarius baptismi est sacerdos aut diaconus, salvo quidem iure parochorum de quo in can. ...

§ 2. Absente aut impedito sacerdote et diacono, licite baptismum confert catechista, immo in casu necessitatis quilibet homo, servatis quidem librorum liturgicorum praescriptis.

Can. 11 (CIC 739)

In alieno territorio nemini licet, sine debita licentia, baptismum sollemniore forma conferre, ne quidem sui loci incolis.

Can. 12 (CIC 744)

Adultorum baptismus, ubi commode id fieri possit, ad loci Ordinarium deferatur, ut, si id expedire iudicaverit, ab eo aut ab eius delegato sollemnus conferatur.

Caput II

DE BAPTISMI SUBIECTO

Can. 13 (CIC 745)

Baptismi recipiendi capax est omnis et solus homo nondum baptizatus.

Can. 14 (CIC 747)

Fetus abortivi, si vivat, quantum id fieri possit, baptizetur.

Can. 15 (CIC 749)

Infans expositus aut inventus nisi, re diligenter investigata, de eius baptismo constet, baptizetur.

Can. 16 (CIC 750-751)

§ 1. Ut infans licite baptizetur, oportet:

1° ut spes habeatur fundata eum in religione catholica educatum iri;

2° ut parentes, saltem eorum unus, aut qui legitime eorundem locum tenent, consentiant.

§ 2. Infans, sive parentum catholicorum sive etiam non catholicorum, qui in eo versetur vitae discrimine ut prudenter praevideatur moriturus antequam usum rationis attingat, licite baptizatur, dummodo non sint expresse contrarii ambo parentes aut ei qui legitime eorundem locum tenent.

Can. 17 (CIC 752)

§ 1. Adultus, ut baptizari possit, requiritur voluntatem suam baptismum recipiendi manifestet et sufficienter fidei veritatibus sit instructus.

§ 2. Adultus qui in periculo mortis versatur baptizari potest, si aliquam de praecipuis fidei veritatibus habeat cognitionem et quovis modo intentionem suam baptismum recipiendi manifestaverit.

Can. 18 (novus)

§ 1. In praeparando adulto qui baptismum recipere intendit, servantur peculiaria praescripta a competenti auctoritate edita.

§ 2. Adultus qui baptizatur, nisi gravis obstet ratio, statim post receptum baptismum confirmetur atque, quatenus fieri possit, celebrationem eucharisticam participet (cf. *Ordo initiationis christianae adultorum*, n. 3).

Can. 19 (novus)

§ 1. Qui dubie baptizatus est, dubio quidem post seriam investigationem permanente, baptizetur.

§ 2. Qui in aliqua communitate ecclesiali non catholica baptizatus est, habeatur valide baptizatus et baptizari non potest, nisi, inspecta liturgica forma in baptismo collato adhibita, necnon attenta intentione ministri baptizantis, seria ratio de baptismi validitate dubitandi adsit.

§ 3. Quod si, in casibus de quibus in §§ 1 et 2, dubia remaneat baptismi collatio aut validitas, baptismus ne conferatur nisi postquam ipsi baptizando, si sit adultus, doctrina de baptismi sacramento exponatur, atque, quando ritus baptismi iteretur, eidem baptizando aut, si de infante agatur, eius parentibus rationes dubiae validitatis ritus iam celebrati declarentur.

CAPUT III

DE BAPTISMI RITIBUS ET CAEREMONIIS

Can. 20 (CIC 756)

§ 1. Proles ritu parentum baptizetur.

§ 2. Si alter parentum ad ritum latinum pertineat, alter ad aliquem ritum orientalem, proles ritu patris baptizetur, nisi aliud iure speciali cautum sit.

§ 3. Si unus tantum parentum sit catholicus, proles ritu catholico baptizetur, secundum normas peculiare aut praescripta Episcoporum conferentiae regionis.

Can. 21 (CIC 757)

Extra casum necessitatis, baptismus ne conferatur nisi cum aqua ad hoc benedicta.

Can. 22 (CIC 758)

Baptismus conferri potest sive per infusionem sive per immersionem, iuxta Episcoporum conferentiae regionis praescripta.

Can. 23 (CIC 759)

Infans extra ecclesiam baptizatus, congruo tempore ad ecclesiam deferatur ut in eadem praesentetur.

Can. 24 (CIC 761)

Curet parochus ut ei qui baptizatur non imponatur nomen a sensu christiano alienum.

Caput IV

DE PATRINIS

Can. 25 (CIC 762)

Ex vetustissimo Ecclesiae more, nemo baptizetur nisi suum habeat, quantum id fieri possit, patrinum.

Can. 26 (CIC 764)

Patrinus unus tantum, eiusdem vel diversi a baptizando sexus, vel etiam unus et una adhibeantur.

Can. 27 (CIC 765)

Ut quis patrinus esse valeat, oportet:

1° sit baptizatus, rationis usum assecutus et intentionem habeat id munus gerendi;

2° religionem profiteatur catholicam; frater seiunctus, si ad normam legitimorum praescriptorum admitti valeat, nonnisi una cum alio patrino catholico admittatur;

3° non sit sententia condemnatoria vel declaratoria excommunicatus nec infamis infamia iuris nec exclusus ab actibus legitimis, nec sit clericus depositus vel degradatus;

4° non sit pater aut mater aut coniux baptizandi;

5° sibi ab ipso baptizando eiusve parentibus vel tutoribus aut, his deficientibus, a ministro designatus.

Can. 28 (CIC 766)

Ut quis licite patrinus admittatur, oportet:

1° decimum sextum aetatis suae annum expleverit, nisi gravis causa aliud suadeat;

2° bona fama canonice gaudeat;

3° sit doctrina christiana rite instructus et habilis qui officia patrino propria assumat et adimpleat;

4° non sit in Instituto religioso novitius vel professus, nisi necessitas urgeat aut expressa habeatur venia Superioris saltem localis.

Can. 29 (CIC 769)

Patrini, ex suscepto munere, est curare, deficientibus praesertim parentibus, ut baptizatus conscie vitam christianam baptismo congruam ducat obligationesque eidem inhaerentes fideliter adimpleat.

Caput V

DE TEMPORE ET LOCO BAPTISMI

Can. 30 (CIC 770)

§ 1. Parentes obligatione tenentur curandi ut infantes infra priores post nativitatem hebdomadas baptizentur, et parochi curent ut de hac obligatione fideles debite instruantur.

§ 2. Si infans in periculo mortis versetur, sine mora baptizetur.

Can. 31 (CIC 772)

Licet baptismus quolibet die celebrari possit, servantur de hac re praescripta ab Episcopis Episcoporumve conferentiis statuta.

Can. 32 (CIC 773)

§ 1. Proprius baptismi in forma sollemniori administrandi locus est ecclesia aut oratorium.

§ 2. Salvis iuribus quaesitis, pro regula habeatur ut infans in ecclesia paroeciali parentum baptizetur, nisi iusta causa aliud suadeat.

Can. 33 (CIC 774.)

§ 1. Quaelibet ecclesia paroecialis baptismalem habeat fontem, salvo iure cumulativo aliis ecclesiis iam quaesito.

§ 2. Loci Ordinarius potest pro fidelium commoditate, permittere vel iubere ut fons baptismalis habeatur etiam in alia ecclesia aut oratorio intra paroeciae fines.

Can. 34 (CIC 775)

Si ad ecclesiam paroecialem, aut ad aliam quae iure fontis baptismalis gaudeat, baptizandus, propter locorum distantiam aliave adiuncta, sine gravi incommodo aut periculo, accedere aut transferri nequeat, baptismus forma sollemnior a parrocho conferri potest et debet in proxima ecclesia aut oratorio intra paroeciae fines, licet haec fonte baptismali careat.

Can. 35 (CIC 776)

Praeter casum necessitatis baptismus ne conferatur in domibus privatis, nisi Ordinarius loci iusta de causa id permiserit.

Caput VI

DE COLLATI BAPTISMI PROBATIONE ET ADNOTATIONE

Can. 36 (novus)

Qui baptismum administrat ad normam can. 10 (CIC 738) curet ut, nisi adsit patrinus, habeantur duo testes quibus collatio baptismi probari possit.

Can. 37 (CIC 777)

§ 1. Parochus debet nomina baptizatorum, mentione facta de ministro, parentibus ac patrinis, de loco ac die collati baptismi, in baptizatorum libro sedulo et sine ulla mora referre.

§ 2. Si de illegitimo filio agitur, matris nomen inserendum est, si publice de eius maternitate constet aut ipsa sponte sua scripto vel coram duobus testibus id petat; item nomen patris inserendum est, si eius paternitas probatur sive publico documento etiam civili sive ipsius declaratione coram parrocho et duobus testibus facta; in ceteris casibus, inscribatur baptizatus tanquam filius patris ignoti aut ignotorum parentum.

Can. 38 (CIC 778 et novus)

§ 1. Si baptismus nec a parocho nec eo praesente administratus fuerit, minister baptismi, quicumque sit, de collato baptismo certiore facere debet parochum paroeciae in qua baptismus administratus est.

§ 2. Si baptismus administratus fuerit in paroecia quae non est parentum propria, parochus paroeciae in qua baptismus collatus est, certiore facere debet parochum paroeciae in qua parentes domicilium aut quasi-domicilium habent; qui parochus in baptizatorum libro adnotet mentione facta de nomine baptizati eiusque parentum, se certiore factum esse infantem in alia paroecia esse baptizatum.

Can. 39 (CIC 779)

Ad collatum baptismum comprobandum, si nemini fiat praeiudicium, sufficit declaratio unius testis omni exceptione maioris, aut ipsius baptizati iusiurandum, si ipse in aetate adulta baptismum receperit.

APPENDIX II

SCHEMA CANONUM QUI IAM PROBATI SUNT

« DE CONFIRMATIONE »

(de quo in CIC cann. 780-800)

Can. 40 (CIC 780-781)

§ 1. Sacramentum confirmationis conferri debet per manus impositionem, quae fit unctione chrismatis ipsa ministri manu in fronte facta, et per verba in probatis liturgicis libris praescripta (cf. *Ordo confirmationis*, n. 9; Pont. Commissio Decretis Conc. Vat. II Interpretandis, *Responsum*, 9 iunii 1972, *AAS* 64, [1972] 526).

§ 2. Chrisma in sacramento confirmationis adhibendum debet esse ab Episcopo consecratum, etiam si sacramentum a presbytero ad normam canonum qui sequuntur ministretur.

Can. 41 (novus)

Ut sacramenti confirmationis intima cum tota initiatione christiana connexio eluceat, promissiones baptismi renouent confirmationem recepturi (cf. Conc. Vat. II, Const. *Sacrosanctum Concilium*, n. 71).

Caput I

DE CONFIRMATIONIS MINISTRO

Can. 42 (CIC 782, § 1)

Valide confirmationem confert Episcopus, huius quidem sacramenti minister originarius, itemque presbyter cui haec facultas vi iuris communis aut peculiaris concessionis a competenti auctoritate factae competit.

Can. 43 (CIC 782, § 3)

Ipso iure facultate confirmationem ministrandi gaudent:

1° intra fines sui territorii, qui iure Episcopo dioecesano aequiparantur;

2° quoad eos qui in periculo mortis versantur parochus, immo quilibet presbyter; parochus autem non impedito, alio presbytero confirmationem ministrare non licit;

3° quoad personam de qua agitur, presbyter qui adultum baptizat, aut adultum iam valide baptizatum in plenam Ecclesiae catholicae communionem admittit (cf. *Ordo initiationis christianae adultorum*, Prae. 46, appendix 8).

Can. 44 (novus)

§ 1. Curet Episcopus dioecesanus ut, quatenus id fieri possit, confirmationem administret per se aut per alium Episcopum; quod si adiuncta loci vel temporis id requirant, facultatem concedere potest certo presbytero vel certis presbyteris, qui hoc sacramentum administrent.

§ 2. Adiunctis id requirentibus, Episcopus itemque presbyter, vi iuris aut peculiaris concessionis competentis auctoritatis, facultate confirmandi donatus, potest in singulis casibus presbyteros ad sacramentum ministrandum sibi sociare (cf. *Ordo confirmationis*, n. 8).

Can. 45 (CIC 783)

§ 1. Episcopus in sua dioecesi sacramentum confirmationis legitime administrat etiam extraneis, qui a proprio parochus praesentantur.

§ 2. Ut in aliena dioecesi confirmationem licite ministret, indiget licentia saltem rationabiliter praesumpta loci Ordinarii.

Can. 46 (CIC 782, § 4-5)

Solis fidelibus sui ritus licite confirmationem conferunt tum presbyter latini ritus qui facultate confirmandi ad normam cann. 43 et 44 gaudet tum presbyter ritus orientalis qui eadem facultate ipso iure aut concessione peculiari pollet.

Can. 47 (CIC 784)

Presbyter facultate confirmationem ministrandi gaudens, in sibi designato territorio confirmationem extraneis a proprio parrocho praesentatis quoque licite confert; eam vero in alieno territorio nemini valide confert, salvo can. 43, 2°.

Can. 48 (CIC 785)

§ 1. Episcopus dioecesanus obligatione tenetur per se vel per alium sacramentum confirmationis subditis rationabiliter petentibus conferendi.

§ 2. Eadem obligatione tenetur presbyter qui hac facultate gaudet, erga eos in quorum favorem facultas concessa est.

Caput II

DE CONFIRMATIONIS SUBIECTO

Can. 49 (CIC 786)

§ 1. Confirmationis recipiendae capax est omnis et solus homo baptizatus, nondum confirmatus.

§ 2. Ut quis licite confirmationem recipiat, requiritur usu rationis polleat atque rite sit dispositus et sufficienter instructus.

Can. 50 (CIC 787)

Licet sacramentum confirmationis non sit de necessitate medii ad salutem, fideles obligatione tenentur illud tempore opportuno recipiendi; curent animarum pastores, praesertim parochi, ut fideles ad hoc sacramentum recipiendum debite instruantur et ad illud tempore opportuno accedant.

Can. 51 (CIC 788)

Sacramentum confirmationis conferatur fidelibus circa aetatis annum consuetudine loci aut Episcoporum conferentia decreto determinatum, nisi adsit periculum mortis aut, de iudicio ministri, gravis causa aliud suadeat (cf. *Ordo confirmationis*, nn. 11 et 12).

Caput III

DE TEMPORE ET LOCO CONFIRMATIONIS CONFERENDAE

Can. 52 (CIC 790)

Sacramentum confirmationis quovis tempore conferri potest.

Can. 53 (CIC 791)

Licet expediat ut sacramentum confirmationis in ecclesia, et quidem intra Missam, ministretur, ex causa tamen iusta et rationabili extra Missam et quolibet loco digno conferri potest (cf. *Ordo confirmationis*, nn. 11 et 13).

Can. 54 (CIC 792)

Intra territorium in quo confirmationem conferre valent, ministri in locis exemptis quoque eam ministrare possunt.

Caput IV

DE PATRINIS

Can. 55 (CIC 793)

Ex vetustissimo Ecclesiae more, quantum id fieri possit, adsit patrinus.

Can. 56 (CIC 795)

Ut quis patrinus esse valeat, oportet:

1° sit confirmatus, rationis usum assecutus et intentionem habeat id munus gerendi;

2° religionem profiteatur catholicam, nec sit ulla ex poenis de quibus in can. 27, n. 3 per sententiam declaratoriam vel condemnatoriam notatus;

3° non sit pater aut mater aut coniux confirmandi;

4° sit a confirmando eiusve parentibus vel tutoribus aut, his deficientibus, a parocho vel a ministro designatus (cf. *Ordo confirmationis*, n. 6).

Can. 57 (CIC 796)

§ 1. Ut quis licite ad munus patrini admittatur, requisitis satisfacere debet can. 28 statutis.

§ 2. Expedit ut tanquam patrinus assumatur qui idem munus in baptismo suscepit (cf. *Ordo confirmationis*, n. 5).

Can. 58 (CIC 797)

Patrini, ex suscepto munere, est curare ut confirmatus tanquam verus Christi testis se gerat obligationesque eidem sacramento inhaerentes fideliter adimpleat.

Caput V

DE COLLATAE CONFIRMATIONIS ADNOTATIONE ET PROBATIONE

Can. 59 (CIC 798)

Parochus debet nomina confirmatorum, facta mentione ministri, parentum et patrinorum, loci et diei confirmationis collatae, in confirmatorum libro sedulo referre, itemque de collata confirmatione monere parochum loci in quo confirmati baptizati sunt, ut adnotatio fiat in libro baptizatorum, ad normam can. 37 et 470, § 2 (cf. *Ordo confirmationis*, n. 14).

Can. 60 (CIC 799)

Si proprius confirmati parochus praesens non fuerit, eundem de collata confirmatione minister per se vel per alium quamprimum certiore faciat (cf. *Ordo confirmationis*, n. 15).

